A. 1800. Die 28 . Martij ... 

Probatio Calami et et S Atramenti

Grammatica Piotrewskyo

Salve Regina Mater mis...

Famineum dies quod famina so... rep...

Famineum dies quod famina sola repos...

Ex libris Eremi M Regii de Var
EOME

# GRAMMATICARUM INSTITUTIONUM LIBRI IV.

*PRO VSV*

SCHOLARVM NOVODVOR-
SCIANARVM

IN ALMA ACADEMIA CRACOVIENSI.

I. De Primis Grammaticæ Rudimentis.
II. De Etymologia ſeu potiùs Analogia.
III. De Syntaxi ſeu recta Partium Orationis Compoſitione.
IV. De Proſodia ſeu Verſificatione.

*HORVM*

Primo adiecta ſunt iſta quinque:

*I.* *Repetitionis & Reductionis inſtituendæ Ratio.*
*II.* *Praxis ſcribendæ & elimandæ Compoſitionis.*
*III.* *Orthographia Latina & Polonica cum aliquot formandorum Characterum exemplaribus : & modo parandi atramanti ſcriptorij.*
*IV.* *Alphabeti Græci, & Numerorum Notæ Arithmeticæ cum Verſiculis de Calendis, Nonis & Idibus.*
*V.* *Polonica plurimarum vocum Latinarum Interpretatio.*

Operâ & Studio

M. LVCÆ PIOTROWSKI,
In eadem Academia Novodvorſciani
Gramm: Profe

VIENNÆ AVSTRIÆ,
*In Officina Typographica* MATTHÆI COSMEROVII,
*S. C. M. Typog. Anno Domini* 1660.

## M. CHRISTOPHORVS NAYMANOWICZ
Medicinæ Doctor, & Ordinarius Profeſſor, Studij Vniuerſitatis Cracouienſis Generalis RECTOR.

*Literarum honeſtiſſimarum ſalus & incolumitas haud facilè inter homines conſeruari poſſet: niſi eſſent tam ij, qui eas excolant, & propogare enitantur: quàm etiam hi, qui earum Cultores & Propagatores diligant, conatus ipſorum quàm diligentiſſimè promoueant, & cæteris omninò commendent.* Nos *itaq; muneris noſtri id eſſe aduertentes,* GRAMMATICAS INSTITVTIONES *à* Nobili & Excellenti Viro LVCA PIOTROWSKI, *in Almâ Noſtra Vniuerſitate* Artium Magiſtro & Philoſophiæ Doctore, Nouodvorſciano Gramm: Profeſſore *conſcriptas, & iam in lucem prodeuntes vnà cum Tyrocinio eiuſdem, quod à primo Libro ferè nihil diſcrepare voluit authoritate noſtrâ libentiſſimè approbamus atq; recipimus, vtpotè, quas etiam ab ijs, quorum intererat viſas, examinatas, approbatas, & receptas eſſe, verè didicimus: Omneſq; Præceptores, tam eos, qui in Priuatis* Nouodvorſcianis Scholis *Iuuentutem erudiunt; quàm illos, qui vbiq; locorum in hoc ampliſſimo & florentiſſimo Regno, Noſtræ* Academiæ, *ſe genuinos Filios, eſſe recognoſcunt, hortamur, & pro Officio noſtro admonemus: vt prædictas Inſtitutiones æquè ac nos ipſi amplectantur, & animis Tyronum, quos erudiendos ſuſceperunt, ex hoc vno Authore Præcepta breuia, facilia, & ſufficientia inſtillare contendant. Qũa in re faciles omnium ſperamus fore animos, ſi cogitauerint ſecum, nihil magis obeſſe tenellis ingenijs, & eorum retardare profectum, quàm Præceptorum à diuerſis Auctoribus alijs atq; alijs verbis conſcriptorum, minimè neceſſeriam, & nunquam admittendam permutationem.*

*VETV-*

Bien. E. II 8

VETVSTISSIMÆ PROSAPIÆ
Multorumque Stemmatum
# DVCVM, COMITVM,
ET
# BARONVM
# FILIIS,
*Illuſtriſſimis, Magnificis, ac Generoſis Dominis.*

ALEXANDRO à Koniecpole KONIECPOLSKI, Illuſtr. Caſtellani Cracouienſ. & Exercituum Regni Supremi Ducis FILIO.

CONSTANTINO ALEXANDRO DVCI de OSTROG in ZASLAVV, Palat: Kiouienſi.

ISIDORO IANVSIO DVCI de OSTROG in ZASLAVV, Palatinidæ Kiouienſi.

CONSTANTINO HYACINTHO LVBOMIRSKI, COMITI in Wiſnic, Palat: Terrarum Ruſſiæ.

CASIMIRO RADOMICKI, Palatinidæ Inovvłocztavvienſi.

VLADISLAO CASIMIRO TARLO Palatinidæ Lublinenſi.

STANISLAO DONHOFF, Palat: Derpat.

SIGISMVNDO DONHOFF, Palat: Derpat.

IOANNI STANISLAO KORYCINSKI, Caſtellanidæ Woyni. Capitaneo Gnievvc.

LVDOVICO ZIELINSKI, Caſtell. Płoc.

NICOLAO GIZICKI, Caſtell. Czernenſi.

Christophoro Baldovino de Tęczyn Osolinski, Caſtell. Sandecenſi, Aurato Equiti, Capitaneo Stobnicenſi.
Stanislao Ioanni de Ciſvvica Cisvvicki, Caſtellanidæ Srzemenſi.
Casimiro Alberto Roxicki, Caſtellanidæ Potanecenſi.
Sigismvndo Wierzbovvski, Caſtellanidæ Inovvłodenſi.
Christophoro Pac, Illuſtriſſ. M. D. L. Supremi Theſaurarij Filio.
Iacobo Hieronymo Rozdrazevvski, Comiti in Rozdrazevv.
Ioanni de Dębiány Debinski, Illuſtriſſ. & Magnifici D. Vexilliferi Crac. Filio.
Georgio Adamo de Tęczyn Osolinski, Succam. Sendomirienſi.
Theodato & Vladislao Frączkievvic, de Rádzimin, Capit. Liden.
Alexandro à Koniecpole Koniecpolski.
Stanislao à Koniecpole Koniecpolski.
Ioanni & Samveli Bronievvski, Cap. Niep.
Sebastiano Kazanovvski, Vexill. Sendom.
Abrahamo & Martino Lezynski.
Christophoro de Starcze Starczevvski.
Stanislao Gvltovvski.

M. Lvcas Piotrovvski, *Salutem & felicitatem.*

*vbi*

VBi primùm à Doctiſſimo & Admodum Reu. D. ADAMO OPATOVIO S.Th.Doctore & Profeſſore, S.ANNÆ Decano, & Scholarum Novodvorſcianarum vigilantiſſimo iuxta ac feliciſſimo Prouiſore, ad colligendum in Athenæo Novodvorſciano puluerem Olympicum ante biennium fueram vocatus, Illuſtr: Magnifici ac Generoſi DOMINI; protinus huc meas omnes curas & cogitationes conferre, meq; totum mente ac voluntate in id conijcere cœperam: vt muneri meo, voluntati & expectationi tanti Viri, commodis & profectui frequentiſſimorum Diſcipulorum, ingentiq; lectiſſimorum Iuuenum coronæ, pro candore meo & Academica ſinceritate quolibet die ſatisfacerem cumulatiſſimè, tantò diligentiùs ac feruentiûs adminiſtrationi illius Prouinciæ ſuſceptæ inſiſtens nauare ſtudium & operam; quantò magis & euidentiùs præter homines, Deum ipſum laborum vigiliarum & ſolicitudinum mearum, iudicem eſſe perſpiciebam. Cuius quidem gratiâ & beneficio dum in dies magis ac magis, in eorum omnium, quibus prima hominum ætas informari ſolet humiles ſatis materias me ingurgito, & ad infima quæq; Exercitia Tyronum non inuito animo demitto: multos modos, multasq; rationes reperio, quæ rudiori ætati excolendæ, ac informandæ, propter breuitatem, claritatem, ordinem, facilitatem & ſufficientiam, multò eſſent accommodatiores; quàm illæ ipſæ Vltraiectini, quas in manibus habebat iuuentus, præceptiones: quæ ſcilicet & pro

altioris profectus, & alterius gentis ingenijs collectæ
atq; conſcriptæ eſſe videbantur, quas mutare vel ca-
ſtigare propter diuturnitatem & tam longum tempo-
ris interuallum nefas omninò eſſe arbitrabar. Quod
enim præmium, aut quod encomium non laboris, ſed
potiùs audaciæ meæ retuliſſem: ſi tam egregij, & de
arte Grammatica tam benè meriti Viri, tot annis à cu-
iusvis Archilochi dentibus atq; vibicibus libera ſcri-
pta, à me vno tandem vapulâſſent, & vulnus aliquod
accepiſſent. Illæſis igitur VALERII præſtantiſſimi
Grammatici Inſtitutionibus, meas proprias, quas
in hoc auito & ſacroſancto D. IAGELLONIS Po-
tentiſſimi Poloniæ REGIS Parnaſſo concepi &
conſcripſi de Sententia & Auctoritate Adm. Reuer.
D. ADAMI OPATOVII, S.T.D. & Prof. Præ-
ſtantiſſimi in lucem mittendas, & in locum Vltraie-
ctini putaui eſſe ſubſtituendas: prout nunc ſub felici-
bus auſpicijs Clariſſ. & Magnifici D. CHRISTO-
PHORI NAYMANOVVICZ, Medic. Doct.
& Ordin. Profeſſoris, Studij Vniuerſit. Cracou.
Gener. Rectoris, tum quoq; Eximij & Adm. Reu.
D. M. IACOBI VITELLII, Tyliciani Ora-
toris, S. ANNÆ Canonici, & moderni Scholarum
Novodvorſ. Prouiſoris diligentiſſimi, è domeſticis te-
nebris emancipatas, Nobiliſſimæ ac florentiſſimæ
Iuventutis vſui addico, & deſeruire iubeo. Ne tamen
vagæ & orphanæ in manus hominum deueniant, Vo-
bis ipſas Illuſtr. Heroës, duabus de cauſis volo eſſe
conſecratas; quarum altera eſt, vt meæ erga vos pro-
penſiſ-

*penſiſſimæ voluntatis,& obſeruantiæ euidens teſtimonium habentes, perpetui & officioſi cultus, atq; amoris ſaporem ſentiatis altera, vt eæ ipſæ Veſtri Nominis ſplendore communitæ, omnium Neuiorum impetus & ſugillationes retundere & ſuſtinere poſſint audaciùs. Quod quidem meum conſilium non minùs æquum quàm ſapiens cenſendum eſſe exiſtimo. A quo enim contra illud genus hominum, quod in alienis eſt Lynx, & acutum, in ſuis ſtupidum & talpa, præſidium aut certiùs aut firmiùs Lucubrationes meæ habeant? quàm ab his, quorum virtute, ſapientiâ, & conſilio ſuas aliquando eſt defenſura & firmatura Patria libertates. Deinde verò cui potiùs alteri animi ingenij & ſtudij mei pignus offeram? quàm Vobis, qui has ipſas Præceptiones nunc calamis, nunc auribus diligentiſſimè excipiebatis: quem, inquam, alium munere iſto inſequar? quàm Vos ipſos, qui quaſi teſſeræ ſigno audito, Sæclariſſimos Græciæ Heroas imitati ad rapiendum Sapientiæ & Virtutum omnium vellus aureum, ad Academiam iſtam frequentiſſimi confluxiſtis, fidemq; ac amorem Veſtrum Maioribus non diſſimilem, poſteris imitandum ac perpetuò conſeruandum in primævam iſtius Regni inclyti Scholam ſic declarâſtis, vt Æmulatio callida vos videns & inuidens, etiam nunc ingemiſcat: Academia verò benigniſſima Mater voluptate & lætitia perfuſa maxima, meritò triumphare videatur. Mille etenim ſepta periculis, & infinitis oppugnari cœpta artibus, en quæ & quot apud ſe habet depoſita Reipublicæ Cimelia! O felicem tuam Magne*

NOVVODVVORSKI *Palæſtram, quam tanta Patriæ pignora & germina cum alia lectiſsima Iuuentute tam numeroſo atq; copioſo celebrant conuentu, felicem tuum Helicona, feliciſsimam fundationem & liberalitatem Cogitate* Illuſtriſſimi Iuvenes, *quid ſibi ſera ætas & progenies cenſebit eſſe faciendum, quum Vos tot, tales, tantos, tantorumq; Heroum Filios, intra eoſdem parietes, intra vnius anni curriculum, iiſdem diebus, immò iiſdem ferè horis me Præceptore vſos fuiſſe videbit, quàm ſe facilem & morigeram Docentium voluntati præbebit ac permittet: quum Vos præceptis & admonitionibus meis alacres paruiſſe; animoſq; Veſtros ſubeſſe neſcios, in libertate & ad libertatem natos, libere educatos, atq; libertati traditos, cum magna animi promptitudine voci meæ Vos ſubmiſiſſe & ſubieciſſe cognoſcet. quanto cum ſtudio & alacritate honeſtiſsimas artes amplectetur, & tractabit: quum hoc meum Veſtrorum laborum, certaminum, diligentiæ, & tam ad Studia, quàm ad pietatem maximi feruoris teſtimonium ſibi ob oculos poſitum inſpciet, & diligentiùs intuebitur. quàm concordiæ amans, quàm amicitiæ & mutuorum officiorũ ſtudioſa & eſſe & videri contendet: quum hanc Veſtram, quam colitis, beneuolentiam & incredibilem animorum confeſsionem Vos ſemper fouiſſe atq; aluiſſe leget, audiet, mirabitur. Quanta deniq; frequentia has Athenas petet, & ad hunc virtuti ac Sapientiæ deuotum, conſecratumq; fontem ſitim ſuam expletura accurret quum præter Vos ipſos, alios quoq;* Illuſtriſſi-

mos,

mos, Magnificos ac Genero∫os DD. *magnarum Familiarum præclariſſima Lumina & Academiæ noſtræ ſplendidiſſima Ornamenta, vno eodemq́; tempore ad eiuſdem* aquæ lene caput ſacræ membra ſtratos magnam partẽ ſemper de die ſolido dempſiſſe *commemorabit, quum ſcilicet* LVCAM CORNELIVM CHMIELECKI, Palat. Kiouienſ. HIERONYMVM POLVBINSKI, Palatin. Parnauienſ. VLADISLAVM ZIELINSKI, Caſtell. Płoc. CHRISTOPHORVM GIZICKI, Caſtell. Czern. LAVRENTIVM GEMBICKI, Caſtell. Rogoz. IOANNEM TARNOVVSKI, Comitem à Tarnovv, Caſtell. Zarn. STEPHANVM LESNIOVVSKI, Caſtell. Czechouienſ. STANISLAVM PAC, Supremi M. D. L. Theſaurarij Filium CHRISTOPHORVM ROZDRAZEVVSKI, Comitem in Rożdrazevv. THEODATVM OGINSKI, Capit. Rohaczeuienſ. M. D. L. Vexillif. NICOLAVM SAPIEHA, Capit. wilkinenſ. ANDREAM à Koniecpole KONIECPOLSKI. NICOLAVM CZVRYLO. STANISLAVM WICHROVVSKI, *quibus ſub* Excell. D. Magiſtro. DANIELE OTRĘBOSZ *Pòëtices ſtudio indulgere & operari placuit.* LVCAM KRETKOVVSKI Caſtell. Breſcenſ. IGNACIVM ROXICKI, Caſtell. Połanec. CHRISTOPHORVM ZEGOCKI, Caſtell. Sremenet. STEPHANVM KORYCINSKI, Capit. Oycouienſ. IOAN-

nem Sapieha. Stephanvm & Martinvm Oborski, Capit. Vladislavm de Oporovv Milonski. Ioannem Kossakovvski, Capit. Viſnenſ. Stephanvm & Albertvm Gaiovvski, *qui ſe artibus Dialecticeѕ & Rhetoriceѕ imbuendos ac informandos* Excell. D. Magiſtro Ioachimo Speronovvicz *tradiderunt. quum (inquam) hos omnes, alioſq; Nobilitate generis, Familiarum ſplendore, nobiliſsimorum Parentum ſuorum Officijs & Dignitatibus claros atq; conſpicuos Adoleſcentes, qui vobiſcum in ijſdem Caſtris Mineruæ cum ſui Nominis laude & gloria immortali nunc militant, illa ſera Poſteritas in his liminibus conſtitiſſe, & in hac Palæſtra deſudâſſe meditabitur: quanto deſiderio honeſtiſsimarum literarum amore inflammata hanc à vobis tritã ſemitam calcare ardebit: præſertim verò, ſi adhuc ex vobis omnibus, qui nunc has priuatas Scholas frequentatis, eorum numerum, quos publica Lectoria capere non poſſunt, colligere & conſequi voluerit; quorum Nomina Virtus eorundem ad ſeros vſq; tranſmittet Nepotes. Vos verò ipſi, huic fideliſsimæ ac ſanctiſsimæ Parenti, quæ Vos Filios ſuos* ſicut nouellas Oliuarum in circuitu menſæ ſuæ *pietatis ac literarum ſimul ſtudijs inſtituit ac imbuit; quàm iucundam Nominis Veſtri memoriam ſitis relicturi; quæ ab ea beneficia vitæq; præſidia ac ornamenta accipiatis, tum quoq; quid illi viciſsim tanquam Matri & Altrici beneficentiſsimæ perpetuò debeatis: tantò diligentiùs*

*cogi-*

*cogitabitis ac ſæpiùs meditabimini; quantò è doctiſſimorum grauiſſimorumq; hominum numero plures reperiuntur, qui vnumquemq; Veſtrûm Reip. optimum Ciuem & peruigilem tutorem, Eccleſiæ Orthodoxæ propugnatorem acerrimum, inclytæ huius Vniverſitatis perpetuum Amicum & Fautorem & eſſe dicunt, & fore ominantur. Quorum quidem ego omnia acclamatione fauſta & voto ſincero excipiens, illud vobis medullitùs exopto, vt* Seren. *ac* Potentiſſ. VLADISLAO IV. *cui ſit fauſtum & felix quàm diutiſſimè imperium, ad gubernacula Reip. ſedente, virtute Veſtram ætatem præeuntes, non tantùm Deo laudi & gloriæ, Regno Poloniæ ſplendori, Illuſtr. Parentibus voluptati, magnis atq; fundatiſſimis Familijs Veſtris decori & ornamento omnes creſcatis: verùm etiam Patriæ & quorumuis optimorum votis ſatisfacientes, ac ſummam eorum ſpem de vobis conceptam ſuperantes, Maiorum Veſtrorum honores & loca, quæ vos expectant, quamprimùm & quam feliciſſimè occupetis: vt ſic ex inſtitutionis bonæ ſeminibus, atq; hac animorum Veſtrorum recentium tanquam novalium agrorum diligenti & fideli cultura, virtutum ac doctrinæ politioris fruges in Patriam ornandam & iuuandam vberrimæ effundantur. Hoc ego vobis voueo, hoc Mater Academia precatur, hoc ipſa chariſſima Patria Veſtram indolem perſpiciens atq; ſecum tacita perpendens pollicetur. Valete.*

Cracouiæ 4. Calendas Iulij, Anno à Partu Virginis, 1634.

ODE

# ODE
## DICOLOS TETRASTROPHOS.
*Nobili & Excellenti*
M. LVCÆ PIOTROWSKI,
Auctori Grammaticæ:
*A*
M. DANIELE OTRĘBOSZ, Coll. Min.

PRæclarum celebris PODLACHIÆ decùs
PIOTROWSKI, proprio lumine qui tuo
Splendeſcis, proauos & memoras diu
Claros ordine perpeti.
Felici rutilam prodeat omine,
In lucem ingenij Progenies tui;
Quam non imber edax, non Aquilo impotens
Tollet, vel fuga temporum.
Vir doctus Patriæ eſt murus aheneus,
Hoſtem non metuit, ſed latus obſidet
Ictus ac remouet fortiùs aſperos
Duro Victor ab impetu.
Magnis ſæpè viris munera Palladis
Dantur, quæ capiunt, vt decet optimo
Vultu, Num viridis, tempora quæ tegit,
Non eſt luminibus benè
Laurus digna tuis? Aſpice quot nitent
Ornati Iuuenes moribus arteque?
Qui dulci Patriæ tempore mobili
Creſcent fulgida Lumina.
Quis nolit Patriam Filius impiger,
Muſâ doctiloquâ cernere ſplendidam:
Et munire ſui dotibus ingenI
Contra barbariem feram.
LVCA conſilium condere ſi meum
Læto non renuis pectore, ſi libet
In lucem ire meis carminibus citò
Lucem nec tenebris dare.
Libros in tenebris non teneas tuos,
Quis noſcat celebris carmina Pyndari?
Quis clari videat Virgilij decus?
Si tanti lateant viri.

*AD*

## AD
## *Nobilem & Excellentem*
# M. LVCAM PIOTROWSKI,
## Auctorem Grammaticæ.

M. IOACHIMVS SPERONOWICZ, Coll. Min.

LVCA Dædaleæ Magiſter artis
Auctor: quâ teneram fide iuuentam
Formes, en labor iſte comprobabit:
Pernox, perdius, ac bonis probandûs.
Hoc te docta Minerua voce caſtâ
Deſponſat ſibi, mente caſtiorem
Sponſum, docte Magiſter, hoc benigna
Mater, poſt alios magis fouebit.
LVCA Dædaleâ Magiſter arte
Præſtans, conſpicui decor laboris;
Te virtus decoret bonis honoris.
Artis Grammaticæ bonum Magiſtrum,
Promptum, perſpicuum, grauem Magiſtrum,
Qui felix grauium rudis iuuentæ
Errorum perimis docendo monſtra.
LVCA delicium Parentis almæ
Luces lumine mentis, artis, oris,
Ac lucens bonus omnibus ſub oris
Regni, viue diu rogat Minerua,
LVCA Dædalei Magiſter auſus.

## Idem ad Polonam IUVENTUTEM.

*HVc agite ô Pueri Generoſæ florida ſtirpis*
*Germina felici deproperate gradu.*
*Quo potuit ſtudio, veſter monumenta Magiſter*
*Grammaticæ, docili nexuit ecce manu.*
*Quêis celeres teneram formetis rite Iuuentam,*
*Dogmata diſcipulis tradit amica ſuis.*
*Quin potius toti præbet noua munera Regno,*
*Siue antiqua nouo prodita ab ingenio.*
*Ocyus huc animos igitur præclara Polonæ*
*Spes Patriæ aduerte, & dona Datoris ama.*

M. GA.

## M. GASPAR GELASINVS. Leopolienſ.

### *In Grammat. Excellentiſſ. Collegæ ſui.*

PArue quid in lucem profers dic quæſo libelle?
Artis primæuæ dogmata culta fero.
Quid noui in hoc ſtudio? res eſt antiqua, quid inde,
Aſt nouus eſt Auctor, mens noua, & ordo nouus.
Quiſnam Auctor? LVCAS PIOTROWSKI, pectore toto
Maxima qui cunctis commoda ferre cupit.
Quæ mens Auctoris? ſtudioſas ducere mentes
Vt poſſint rectis promere verba modis.
Ordo quis & Methodus? facilis, breuis, obuia, prompta
Sufficiens, qualem noſtra Iuuenta cupit.
Ergo quid inde boni, iam cernis, Lector amice
Nobilis eſt Auctor, nobile dogma ſerit.

---

### *In Gramm. Nobilis & Excellentiſſ.* M. LVCÆ PIOTROWSKI

THOMAS CZYCHRZYNSKI, *Art. & Philoſoph. Bacc. Scholæ Elementorum Præſid.*

PLurima Grammatices exſtant monumenta Priorum
Vnum PIOTROWSKI, ſed mage præſtat opus,
Singula ſic etenim Prudens Præcepta Magiſter
Strinxit, debeat vt ſolus vbique legi.
Ordine tam ſuaui, ſermoneque ſimplice purus,
Vt Tyro vel per ſe diſcere cuncta queat.

## Idem Nomine IVVENTVTIS.

LVCA *Caſtalidum decus, & lux grata Sororum,*
LVCA *Iunoſia pulcra Propago Domus.*
*Tot tribuant ſuperi tibi, quot tu Munera Nobis*
*Præſtas, optamus Nos Studioſa cohors.*
*Sic Vireas renouans Vetera, Vt renouetur in æuum,*
*Antiquis maior laus tua* GRAMMATICIS.
*Augur ego ſemper lingua reſonante nouella,*
*Stemma tuum tecum laus ſuper aſtra Vehet.*

AD

# AD LECTOREM.

ANtiqua GRAMMATICORVM Præcepta nouis induta formis, & ad breuiorem, conuenientioremq; ordinem & Methodum reuocata pro communi teneræ ætatis vtilitate, & ſcribere & proferre, nemo quempiam Lector beneuole vetabit, aut ægrè ferrè vitebitur: niſi is, qui nec à ſe, nec ab vllo alio in quemquam vel minima vellet commoda deriuari. Vnde & tu minimè hoc meum mireris conſilium, qui in tanta præſtantiſſimorum Auctorum frequentia publico Iuuentutis bono per me conſultum eſſe cupiens; haſce meas de puro & emendato ſermone audeo euulgare Inſtitutiones, in quibus quid tradatur, ex Synopſi cuilibet Libro à fronte præmiſſa addiſces. Porrò vt hæc ieiuna Grammatices Præcepta citiùs à Tyronibus intelligantur, eorumq; memoriæ altiùs imprimantur, ſcias me eandem rem ijſdem verbis, vbi erat poſſibile, idq; ſimpliciſſimis, expreſſiſſe: vt apparet ex Libro 1. & 2. itemq; ex Tabulis ijs, quas in Numeros & Regulas diſpertiui. Vbi verba à principio Tabulæ poſita, duabus, tribus, & aliquando pluribus conueniunt Regulis, quæ quidem magna laboris parte puerum leuabunt: Sic etenim, ſi vnam didicerit Regulam, alterius quoq; iam mediam partem didiciſſe & in explicatione intellexiſſe videbitur: vnde verba talia toties erunt iteranda, quot habebuntur Regulæ. Præcepta præcipua & magis neceſſaria maioribus Characteribus ideò ſunt impreſſa, vt hæc ſola à principio Tyronibus proponantur, & maiore quidem Charactere minorem tum Etymologiam, tum Syntaxin volui complecti, minutiore verò Maiorem. Accentum polliſyllabis addidi vocibus, vt rectam maturo tempore pronunciationē Tyrones condiſcant, quamquam is in nonnullis locis contra meam voluntatem nunc eſt prætermiſſus, Admonitiones & Annotationes longiores nullibi ſunt recitandæ. Titulos immò etiam chartas habeat Tyro numeratas, ita enim, quid quoq; loco tradatur & noſſe & cito inuenire poterit, flexio Nominum vt per Regulas caſuum fiat, diligenter curetur. Quæ verò nunc vltrò ſunt ſuppreſſa, alias (ſi videbitur) vt adſint curabo; tum quoq; & alia, quæ profectui Puerorum proficua aduertam. Cæterum ſi alicubi tuæ L. C. non ſatisfacio voluntati, habitâ ratione tum ætatis, tum ingenij, maximè verò aliarum occupationum mearum benignum te mihi hâc vice & beneuolum præbere non grauaberis: tot enim hic non modò Præcepta; verùm etiam dubia & opiniones reperiuntur: vt difficilè ſit, non minùs omnia enumerare, quàm tutiorem partem eligere. Quod ſi autem hæ laboris mei Primitiæ feliciter ceſſerint, aliquid aliud à nobis Nobiliſſima Iuuentus Deo fauente poterit expectare. Vale.

Errores, quos hîc aliena errauit manus, quiſque pro ſuo in nos bono affectu corrigat, oramus.

# GRAMMATICARUM INSTITVTIONVM

# LIBER I.

## *DE*

## PRIMIS GRAMMATICÆ RVDIMENTIS.

*VBI PRO TENELLIS PVERORVM Ingenÿs generaliora tantùm Etymologiæ Præcepta: unà cum Declinationum ac Conjugationum Formulis atq; Exemplis traduntur.*

# GRAM: INSTITVTIONVM LIBER I.

## DE PRIMIS GRAMMATICÆ RVDIMENTIS.

QVID EST GRAMMATICA? *Eſt ars, quæ docet benè loqui, benè ſcribere, & benè pronuntiare.*

Quot ſunt Partes Grammaticæ? *Quatuor: Orthographia, Etymologia, Syntaxis, Proſodia.*

Quid eſt
1. Orthographia? *Eſt pars Grammáticæ, quæ docet rectè ſcribere.*
2. Etymologia? *Eſt pars Grammáticæ, quæ docet voces formare ſeu infléctere, & earum Accidéntia cognóſcere.*
3. Syntaxis? *Eſt pars Grammáticæ, quæ docet duas vel plures voces inter ſe rectè coniungere.*
4. Proſodia? *Eſt pars Grammáticæ, in qua Syllabarum Quantitas, Pedes Métrici Carminum Genera & Accidéntia traduntur,*

## DE LITERIS.

Quot ſunt
1. Literæ? *Viginti tres:* A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.
2. Vocales? *Sex:* A e i o u y.
3. Conſonantes? *Sexdecim, ſcilicet omnes Literæ præter vocales & literam* h.

I & v *ſunt Conſonantes in iſtis Syllabis,* Ia, ie, ij, io, iu Va, ve, vi, vo, vu. *Vt* Iane, Valentine, veni, vide, volatus, vultutum.

Quid fit ex
1. Vocálibus? *Diphthongi quatuor:* æ, œ, au, eu. *vt* æs pœna, aurum, euge.
2. Literis? *Syllaba, vt* Ma, ri, a. Vir, go.
3. Syllabis? *Voces, vt* Maria. Virgo.
4. Vócibus? *Oratio, vt* Maria eſt Virgo & Mater Dei.

Partes Orationis:

1. Quot ſunt? *Octo:* Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Aduerbium, Coniúnctio, Præpoſitio, Interiectio.
2. Quotuplices ſunt? *Duplices:* Declinábiles, & indeclinábiles.
3. Declinábiles quot ſunt? *Quátuor:* Nomen, Pronomen, Verbum, Participium.
(Cur dicuntur Declinábiles. *Quia in fine ſuas terminationes variare poſſunt.*)
4. Indeclinábiles quot ſunt? *Quátuor:* Aduerbium, Coniunctio, Præpoſitio, Interiectio.
(Cur dicuntur Indeclinábiles. *Quia in fine ſuas terminationes variare non poſſunt.*)

# DE NOMINE.

Quid eſt Nomen? *Eſt vox, per Caſus declinabilis, rem ſine témpore ſignificans, vt* Deus, Angelus, homo.

Quótuplex eſt Nomen:

1. *Duplex:* Subſtantiuum & Adiectiuum.
2. Subſtantiuum? *Duplex: Proprium & Appellatiuum.*
3. Adiectiuum? *Duplex: Comparábile & Incomparábile.*
4. Adiectiuum Comparábile & Incomparábile? *Triplex: Vnius terminationis, duarum terminationum, trium terminationum.*

Quid eſt Nomen Subſtantiuum? *Quod tres articulos iſtos* hic, hæc, hoc, *ſimul habêre non poteſt, vt* Feneſtra. fornax.

Quid eſt Nomen Adiectiuum? *Quod tres articulos iſtos* hic, hæc, hoc, *ſimul habêre poteſt, vt* Bonus, albus.

Quid

Quid eſt Nomen

1. Proprium? *Quod vni rei tantùm propriè cónuenit*, *vt* Paulus, Crácouia, Ruſſia.
2. Appellatiuum? *Quod multis conuenire poteſt*, *vt* Homo, Vrbs, Régio.
3. Comparábile? *Cujus ſignificátio augeri vel minui poteſt*, *vt* Magnus, major, maximus.
4. Incomparábile? *Cujus ſignificátio nec augeri nec minui poteſt*, *vt* aureus, régius, cœleſtis.
5. Vnius terminationis? *Quod vnam habet terminationem*, *vt* hic hæc hoc audax, felix.
6. Duarum terminationum? *Quod duas habet terminationes*, *vt* fortis, forte.
7. Trium terminationum? *Quod tres habet terminationes*, *vt* bonus, bona, bonum.

Quot ſunt Nóminum

1. Accidéntia? *Sex*: Figura, Spécies, Genus, Declinatio, Númerus, Caſus. (Comparátio his ádditur, *ſed hæc ſoli Adjectiuo Comparábili conuenit.*)
2. Figuræ? *Tres*: Simplex, *vt parábilis*, Compóſita, *vt comparábilis*, Decompóſita, *vt incomparábilis*.
3. Species? *Duæ*: Primitiva, *vt Aurum*, *Rex*, Deriuatiua, *vt aureus régius*.
4. Génera? *Sex*: Maſculinum, Femininum, Néutrum, Omne, Commune, Dúbium.

Epicœnum *ſub* Maſculino *vel* Feminino *continetur*.

5. Declinationes? *Quinque*: Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta.
6. Numeri? *Duo*: Singularis, *vt Vir*, *Puer*. Pluralis, *vt Viri*, *Pueri*.
7. Caſus? *Sex*: Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accuſatiuus, Vocatiuus, Ablatiuus.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Quot Nomen eſt Géneris | Maſculini? | Cui præponitur in Nominatiuo | hic, *vt* hic *Vir.* |
| | Femini? | | hæc, *vt* hæc *Mulier.* |
| | Neutri? | | hoc, *vt* hoc *animal.* |
| | Omnis? | | hic hæc hoc *audax.* |
| | Communis? | | hic, *&* hæc *fortis.* |
| | Dubij? | | hic, *vel* hæc *dies.* |

## DE COMPARATIONE.

Quæ Nomina comparántur? *Sola Adiectiua, quorum ſignificátio augeri vel minui poteſt, vt* Magnus, maior, maximus. Paruus, minor, minimus.

Quot ſunt Gradus comparátionis? *Tres:* Poſitiuus, Comparátiuus, Superlatiuus.

Comparátiuus quot habet Terminationes? *Duas:* Or *&* Vs, *ſub prima eſt Géneris Communis, ſub ſecunda, Néutri, & ſub vtraq; eſt tértiæ Déclinationis, vt* hic *&* hæc gráuior, *&* hoc gráuius.

Superlatiuus quot habet terminationes? *Vnā generalem* mus, *& tres ſpeciales præcipuas* { Simus, *vt Doctiſſimus.* Rimus, *vt Nigérimus.* Limus, *vt Humillimus.* }

Quótuplex eſt Comparátio? *Duplex:* Regularis *&* Irregularis.

## DE COMPARATIONE REGVLARI.

Quid eſt Comparátio Regularis? *Quando & Comparatiuus & Superlatiuus, vel ſaltem vnus eorum à Poſitiuo formatur.*

Vnde formatur Comparátiuus? *A Genitiuo vel Datiuo Poſitiui deſinente in* i *additá ſyllabâ* Or *&* Vs; *vt ab* Amicus amici, *fit* amicior amicius, *à* Felix felicis felici, *fit* felicior felicius.

Vnde

Vnde formatur Superlatiuus? *A Genitiuo Poſitiui addito* ſſimus *vel* ſimus *vt à* Doctus docti, *fit* doctiſſimus; *ab* audax audacis, *fit* audaciſſimus.

Quótuplex eſt Compáratio Regularis? *Triplex*: Abundans, Defectiua, *&* Media, *id eſt, nec* Abundans, *nec* Defectiua.

Quid eſt Compáratio Media? *Quando Adiectiuum Comparábile vnum tantùm habet Poſitiuum, vnum Comparatiuum, & unum Superlatiuum, neq; vllo ex ipſis deficit.*

EXEMPLVM.

*VERVS* quali Comparátione comparatur? *Regulari*, Quali Regulari? *Media.* Cómpara.

In Género Maſculino.

| | | |
|---|---|---|
| In Gradu | Poſitiuo, | *Hic Verus, ri.* |
| | Compatatiuo, | *Hic Vérior, oris.* |
| | Superlatiuo, | *Hic Veriſſimus, mi.* |

In Género Feminino.

| | | |
|---|---|---|
| In Gradu | Poſitiuo, | *Hæc Vera, ræ.* |
| | Comparatiuo, | *Hæc Vérior, oris.* |
| | Superlatiuo, | *Hæc Veriſſima, mæ.* |

In Género Neutro.

| | | |
|---|---|---|
| In Gradu | Poſitiuo, | *Hoc Verum, ri.* |
| | Comparatiuo, | *Hoc Verius, oris.* |
| | Superlatiuo. | *Hoc Veriſſimum, mi.* |

Siue etiam hoc modo.

| | | |
|---|---|---|
| In Género | Maſculino, | *Hic Verus, vérior, veriſſimus,* |
| | Feminino, | *Hæc Vera, vérior, veriſſima.* |
| | Néutro, | *Hoc Verum, vérius, veriſſimum.* |

Seu denique ſic.

*Hic Verus, vérior, veriſſimus. Hæc Vera, vérior, veriſſima. Hoc Verum, vérius veriſſimum.*

## DE COMPARATIONE IRREGVLARI.

Quid eſt Comparátio Irregularis? *Quando nec Comparatiuus, nec Superlatiuus à Poſitiuo formatur.*

Quot ſunt Adiectiua, quæ irregulárirer comparantur? *Quinque iſta: Bonus, malus, magnus, paruus, multus.*

Cómpara *Bonus.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| In Génere | Maſculino, | *Bonus,* | *mélior,* | *óptimus* |
| | Feminino, | *Bona,* | *mélior,* | *óptima.* |
| | Néutro, | *Bonum,* | *mélius,* | *óptimum,* |
| In Génere | Maſculino. | *Malus,* | *peior,* | *péſſimus.* |
| | Feminino, | *Mala,* | *peior,* | *péſſima.* |
| | Néutro, | *Malum,* | *peius,* | *péſſimum.* |
| In Génere | Maſculino, | *Magnus,* | *maior,* | *máximus,* |
| | Feminino, | *Magna,* | *maior,* | *máxima,* |
| | Néutro, | *Magnum,* | *maius,* | *máximum.* |
| In Génere | Maſculino, | *Paruus,* | *minor,* | *minimus,* |
| | Feminino, | *Parua,* | *minor,* | *minima.* |
| | Néutro, | *Paruum,* | *minus,* | *minimum.* |
| In Génere | Maſculino, | *Multus,* | - - - | *plúrimus.* |
| | Feminino, | *Multa,* | - - - | *plúrima.* |
| | Néutro, | *Multum,* | *plus,* | *plúrimum,* |

Admonitio, *Generales Caſuum in quauis Declinatione Terminationes ex ſequentibus Schematiſmis, ſeu Formulis cognoſcentur. Porrò Aſteriſcus ſeu ſtellula nonnullis Cáſibus in his Formulis appóſita, docet & admonet Caſus iſtos, qui Aſteriſco notantur in quibuſdam Nominibus aliter, quàm in Fórmula exprimitur, eſſè formandos: iſta autem Nomina in Libro Secundo, eâ paginâ, qua in margine eſt ſcripta, quærere oportebit.*

Primæ

# Primæ Declinationis Fórmula.

## Numero Singulari.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Nomi: | a, | as, | es, | e, | am, | |
| Genit: | æ, ✠ | æ, | æ, | es, | æ, | |
| Datiu: | æ, ✠ | æ, | æ, | e, | æ. | *Pag.* 152. |
| Accuſ: | am, | an, am, | en, em, | en, | am, | |
| Vocat: | a, | a, | e, | e, | am, | |
| Ablat: | a, | a, | e, | e, | am, | |

## Numero Plurali.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Nomi: | æ, | æ, | æ, | æ, | æ, | |
| Genit: | arum, | arum, | arum, | arum, | arum, | |
| Datiu: | is, ✠ | is, | is, | is, | is, | *Pag.* 153. |
| Accuſ: | as, | as, | as, | as, | as, | |
| Vocat: | æ, | æ, | æ, | æ, | æ, | |
| Ablat: | is, ✠ | is, | is, | is, | is, | |

# Secundæ Declinationis Fórmula.

## Numero Singulari.

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Nomi: | er, | ir, | ur, | um, | us, | eus, | |
| Genit: | i, | i, | i, | i, | i, ✠ | i, ✠ | |
| Datiu: | o, | o, | o, | o, | o, ✠ | o, | *Pag.* |
| Accuſ: | um, | um, | um, | um, | um, | um, a. | 155. |
| Vocat: | er, | ir, | ur, | um, | e, ✠ | eu, | |
| Ablat: | o, | o, | o, | o, | o, | o, | |

## Numero Plurali.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Nomi: | i, | i, | i, | a, | i, | i, |
| Genit: | orum, | orum, | orum, | orum, | orum, | orum, |
| Datiu: | is, | is, | is, | is, | is, | is, |
| Accuſ: | os, | os, | os, | a, | os, | os, |
| Vocat: | i, | i, | i, | a, | i, | i, |
| Ablat: | is, | is, | is, | is, | is, | is, |

## Tertiæ Declinationis Fórmula.

### NVMERO SINGVLARI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi : | a, | e, | o, l, n, r, s, x. |
| Genit : | tis *Vel* tos, | is, | is, ✠ ✠ *Pag.* 157. *ad* 170. |
| Datiu : | ti, | i, | i, |
| Accuſ : | a, | e, | em, *b* *b* *Pag.* 170. |
| Vocat : | a, | e, | *ſimilis Nominatiuo.* |
| Ablat : | te, | i, | e. ✠ ✠ *Pag.* 171. |

### NVMERO PLVRALI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi : | ta, | ia, | es, *b* |
| Genit : | tum *Vel* ton, | ium, | um, ✠ ✠ *Pag.* 172. |
| Datiu : | tis *Vel* ibus, | ibus, | ibus, |
| Accuſ : | ta, | ia, | es, *b* *b* *Pag.* 173. |
| Vocat : | ta, | ia, | es, *b* |
| Ablat : | tis *Vel* ibus, | ibus, | ibus. |

## Quartæ Declinationis Fórmula.

| NVM: SINGVL: | | | NVM: PLVRALI. | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Nomi : | us, | u, | Nomi : | us, | ua, |
| Genit : | us, | u, | Genit : | uum. | uum, |
| Datiu : | ui, | u, | Datiu : | ibus, ✠ | ibus, ✠ |
| Accuſ : | um, | u, | Accuſ : | us, | ua, ✠ 174. |
| Vocat : | us, | u, | Vocat : | u, | ua, |
| Ablat : | u, | u, | Ablat : | ibus, ✠ | ibus ✠ |

## Quintæ Declinationis Fórmula.

| NVM: SINGVL: | | NVM: PLVRALI. | |
|---|---|---|---|
| Nomi : | es, | Nomi : | es, |
| Genit : | ei, | Genit : | earum, |
| Datiu : | ei, | Datiu : | ebus, |
| Accuſ : | em, | Accuſ : | es, |
| Vocat : | es. | Vocat : | es |
| Ablat : | e. | Ablat : | ebus. |

PRIMA

# PRIMA DECLINATIO.

## Nvmero Singvlari.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi: *Hic* | Poëta | Æneas | Anchiſes |
| Genit: *huius* | Poëtæ | Æneæ | Anchiſæ, |
| Datiu: *huic* | Poëtæ | Æneæ | Anchiſæ, |
| Accuſ: *hunc* | Poëtam | Ænean | Anchiſen, |
| Vocat: *ô* | Poëta | Ænea | Anchiſe, a |
| Ablat: *ab hoc* | Poëta | Ænea | Anchiſæ, a |

*Propria etiam in Plurali iuxta quoſdam declinantur.*

## Nvmero Plvrali.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi: *Hi* | Poëtæ | Æneæ | Anchiſæ, |
| Genit: *horum* | Poëtarum | Ænearum | Anchiſarum, |
| Datiu: *his* | Poëtis | Æneis | Anchi[illegible] |
| Accuſ: *hos* | Poëtas, | Æneas | Anchiſas. |
| Vocat: *ô* | Poëtæ | Æneæ | Anchiſæ, |
| Ablat: *ab his* | Poëtis | Æneis | Anchiſis. |

## Nvmero Singvlari.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: *Hæc* | Via | Dea | Vna | Ode, |
| Genit: *huius* | Viæ | Deæ | Vnius | Odes, |
| Datiu: *huic* | Viæ | Deæ | Vni | Ode, |
| Accuſ: *hanc* | Viam | Deam | Vnam | Oden, |
| Vocat: *ô* | Via | Dea | Vna | Ode, |
| Ablat: *ab hac* | Via | Dea | Vna | Ode. |

## Nvmero Plvrali.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: *Hæ* | Viæ | Deæ | Vnæ | Odæ, |
| Genit: *harum* | Viarum | Dearum | Vnarum | Odarum, |
| Datiu: *his* | Vijs | Deabus | Vnis | Odis, |
| Accuſ: *has* | Vias | Deas | Vnas | Odas, |
| Vocat: *ô* | Viæ | Deæ | Vnæ | Odæ, |
| Ablat: *ab his* | Vijs | Deabus | Vnis | Odis. |

SECVN-

# SECVNDA DECLINATIO.

## NVMERO SINGVLARI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hic* | Dóminus | Thydeus | Vnus, |
| Genit: | *huius* | Dómini | Thydei | Vnius, |
| Datiu: | *huic* | Dómino | Thydeo | Vni, |
| Accuſ: | *hunc* | Dóminum | Thydeum, a | Vnum, |
| Vocat: | *ô* | Dómine | Thydeu | Vne, |
| Ablat: | *ab hoc* | Dómino | Thydeo | Vno. |

## NVMERO PLVRALI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hi* | Dómini | Thydei | Vni, |
| Genit: | *horum* | Dóminorum | Thydeorum | Vnorum, |
| Datiu: | *his* | Dóminis | Thydeis | Vnis, |
| Accuſ: | *hos* | Dóminos | Thydeos | Vnos, |
| Vocat: | *ô* | Dómini | Thydei | Vni, |
| Ablat: | *ab his* | Dóminis | Thydeis. | Vnis. |

## NVMERO SINGVLARI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hic* | Vir | Liber | Púer, |
| Genit: | *huius* | Viri | Libri | Púeri, |
| Datiu: | *huic* | Viro | Libro | Púero, |
| Accuſ: | *hunc* | Virum | Librum | Púerum, |
| Vocat: | *ô* | Vir | Liber | Púer, |
| Ablat: | *ab hoc* | Viro | Libro | Púero. |

## NVMERO PLVRALI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hi* | Viri | Libri | Púeri, |
| Genit: | *horum* | Virorum | Librorum | Púerorum, |
| Datiu: | *his* | Viris | Libris | Púeris, |
| Accuſ: | *hos* | Viros | Libros | Púeros, |
| Vocat: | *ô* | Viri | Libri | Púeri, |
| Ablat: | *ab his* | Viris | Libris | Púeris. |

NVMERO SINGVLARI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hæc* | Fagus | Diphthóngus, |
| Genitiuo | *huius* | Fagi | Diphthóngi, |
| Datiuo | *huic* | Fago | Diphthóngo, |
| Accuſatiuo | *hanc* | Fagum | Diphthóngum, |
| Vocatiuo | *ô* | Fage | Diphthónge, |
| Ablatiuo | *ab hac* | Fago | Diphthóngo. |

NVMERO PLVRALI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hæ* | Fagi | Diphthóngi, |
| Genitiuo | *harum* | Fagorum | Diphthóngorum, |
| Datiuo | *his* | Fagis | Diphthóngis, |
| Accuſatiuo | *has* | Fagos | Diphthóngos, |
| Vocatiuo | *ô* | Fagi | Diphthóngi, |
| Ablatiuo | *ab his* | Fagis | Diphthóngis. |

NVMERO SINGVLARI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi: *Hoc* | Scamnum | Vnum | Schólion *vel* um |
| Genit: *huius* | Scamni | Vnius | Schólij, |
| Datiu: *huic* | Scamno | Vni | Schólio, |
| Accuſ: *hoc* | Scamnum | Vnum | Schólion *vel* um |
| Vocat: *ô* | Scamnum | Vnum | Schólion *vel* um |
| Ablat: *ab hoc* | Scamno | Vno | Schólio. |

NVMERO PLVRALI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi: *Hæc* | Scamna | Vna | Schólia, |
| Genit: *horum* | Scamnorum | Vnorum | Schóliorum, |
| Datiu: *his* | Scamnis | Vnis | Schólijs, |
| Accuſ: *hæc* | Scamna | Vna | Schólia, |
| Vocat: *ô* | Scamna | Vna | Schólia, |
| Ablat: *ab his* | Scamnis | Vnis | Schólijs. |

TER-

# TERTIA DECLINATIO.

## NVMERO SINGVLARI.

| | | |
|---|---|---|
| Nomi : *Hic* | Lépus | Delphin, |
| Genit : *huius* | Léporis | Delphinis *vel* Delphinos, |
| Datiu : *huic* | Lépori | Delphini, |
| Accuſ : *hunc* | Léporem | Delphinem *vel* Delphina, |
| Vocat : *ô* | Lépus | Delphin, |
| Ablat : *ab hoc* | Lépore | Delphine. |

## NVMERO PLVRALI.

| | | |
|---|---|---|
| Nomi : *Hi* | Lépores | Delphines, |
| Genit : *horum* | Léporum | Delphinum *vel* Delphinon, |
| Datiu : *his* | Léporibus | Delphinibus, |
| Accuſ : *hoc* | Lépores | Delphines *vel* Delphinas, |
| Vocat : *ô* | Lépores | Delphines, |
| Ablat : *ab his* | Léporibus | Delphinibus. |

## NVMERO SINGULARI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi : *Hæc* | Ratio | Vis | Nauis, |
| Genit : *huius* | Rationis | Vis | Nauis, |
| Datiu : *huic* | Rationi | Vi | Naui, |
| Accuſ : *hanc* | Rationem | Vim | Nauim *vel* em, |
| Vocat : *ô* | Ratio | Vis | Nauis, |
| Ablat : *ab hac* | Ratione | Vi | Naui *vel* e. |

## NVMERO PLVRALI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi : *hæ* | Rationes | Vires | Naues, |
| Genit : *harum* | Rationum | Virium | Nauium, |
| Datit : *his* | Rationibus | Viribus | Nauibus, |
| Accuſ : *has* | Rationes | Vires | Naues, |
| Vocat : *ô* | Rationes | Vires | Naues, |
| Ablat : *ab his* | Rationibus | Viribus | Nauibus. |

NVME-

### Nvmero Singvlari.

| | | |
|---|---|---|
| Nomi: *Hæc* | Icon | Phraſis, |
| Genit: *huius* | Iconis *vel* os | Phraſis *vel* eos *vel* ios, |
| Datiu: *huic* | Iconi | Phraſi, |
| Accuſ: *hanc* | Iconem *vel* a | Phraſim *vel* in |
| Vocat: *ô* | Icon | Phraſis, |
| Ablat: *ab hac* | Icone | Phraſi. |

### Nvmero Plvrali.

| | | |
|---|---|---|
| Nomi: *Hæ* | Icones | Phraſes, |
| Genit: *harum* | Iconum *vel* on | Phráſium *vel* on |
| Datiu: *his* | Icónibus | Phraſibus, |
| Accuſ: *has* | Icones *vel* as | Phraſes, |
| Vocat: *ô* | Icones | Phraſes, |
| Ablat: *ab his* | Iconibus | Phráſibus. |

### Nvmero Singvlari.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi: *Hoc* | Cómma | Animal | Móly, |
| Genit: *huius* | Cómmatis | Animalis | Mólyis *vel* os, |
| Datiu: *huic* | Cómmati | Animali | Mólyi, |
| Accuſ: *hoc* | Cómma | Animal | Móly, |
| Vocat: *ô* | Cómma | Animal | Móly. |
| Ablat: *ab hoc* | Cómmate | Animali | Mólye. |

### Nvmero Plvrali.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi: *Hæc* | Cómmata | Animália | Mólya, |
| Genit: *horum* | Cómmatum | Animáliũ | Mólyũ *vel* on, |
| Datiu: *his* | Cómmatis | Animálibꝰ | Mólybus, |
| Accuſ: *hæc* | Cómmata | Animália | Mólya, |
| Vocat: *ô* | Cómmata | Animália | Mólya, |
| Ablat: *ab his* | Cómmatis | Animálibꝰ | Mólybus: |

Nvme-

NVMERO SINGVLARI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi : *Hoc* | Témpus | Graue | Grauius, |
| Genit : *huius* | Témporis | Gravis | Grauioris, |
| Datiu : *huic* | Témpori | Graui | Grauiori, |
| Accuſ: *hoc* | Témpus | Graue | Gráuius, |
| Vocat : *ô* | Témpus | Gráue | Gráuius, |
| Ablat : *ab hoc* | Témpore | Graui | Gráuiori *vel* e. |

NVMERO PLVRALI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi : *Hæc* | Témpora | Gráuia | Grauiora, |
| Genit : *horum* | Témporum | Gráuium | Grauiorum, |
| Datiu : *his* | Témporib⁹ | Gráuibus | Grauioribus, |
| Accuſ: *hæc* | Témpora | Gráuia | Grauiora, |
| Vocat : *ô* | Témpora | Gráuia | Grauiora, |
| Ablat : *ab his* | Témporib⁹ | Gráuibus | Grauioribus. |

NVMERO SINGULARI,

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi : *Hic & hæc* | Grauis | Gráuior | Vates, |
| Genit : *huius* | Grauis | Grauioris | Vatis, |
| Datiu : *huic* | Graui | Grauiori | Vati, |
| Accuſ: *hunc & hanc* | Grauem | Grauiorem | Vatem, |
| Vocat : *ô* | Grauis, | Gráuior | Vates, |
| Abl : *ab hoc & ab hac* | Graui | Grauiore, i | Vate. |

NVMERO PLVRALI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nomi : *Hi & hæ* | Graues | Grauiores | Vates, |
| Genit : *horũ & harũ* | Gráuium | Grauiórum | Vatum, |
| Datiu : *his* | Gráuibus | Grauióribus | Vatibus, |
| Accuſ : *hos & has* | Graues | Grauiores | Vates, |
| Vocat : *ô* | Graues | Grauiores | Vates, |
| Ablat : *ab his.* | Gráuibus | Grauióribus | Vatibus. |

NVME-

Nvmero Singvlari.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hic, Hæc* | Amans, | *Hoc* | Amans, |
| Genit: | *huius, huius* | Amántis, | *huius* | Amantis, |
| Datiu: | *huic, huic* | Amánti, | *Huic* | Amanti, |
| Accuſ: | *hunc, hanc* | Amantem, | *hoc* | Amans, |
| Vocat: | *ô, ô* | Amans, | *ô* | Amans, |
| Ablat: | *ab hoc, ab hac* | Amante *vel* i. | *ab hoc* | Amante *v.* i. |

Nvmero Plvrali.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hi, Hæ* | Amántes, | *Hæc* | Amántia, |
| Genit: | *horum, harum* | Amántium, | *horum* | Amántium, |
| Datiu: | *his, his* | Amántibus, | *his* | Amántibus, |
| Accuſ: | *hos, has* | Amántes, | *hæc* | Amántia, |
| Vocat: | *ô, ô* | Amántes, | *ô* | Amántia, |
| Ablat: | *ab his, ab his* | Amántibus. | *ab his* | Amántibus. |

Nvmero Singvlari.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hic, Hæc* | Felix, | *Hoc* | Felix, |
| Genit: | *huius, huius* | Felicis, | *huius* | Felicis, |
| Datiu: | *huic, huic* | Felici, | *huic* | Felici, |
| Accuſ: | *hunc, hanc* | Felicem, | *hoc* | Felix, |
| Vocat: | *ô, ô* | Felix, | *ô* | Felix, |
| Ablat: | *ab hoc, ab hac* | Felice *vel* i. | *ab hoc* | Felice, *vel* i. |

Nvmero Plvrali.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hi, Hæ* | Felices, | *Hæc* | Felicia, |
| Genit: | *horum, harum* | Felicium, | *horum* | Felicium, |
| Datiu: | *his, his* | Felicibus, | *his* | Felicibus, |
| Accuſ: | *hos, has* | Felices, | *hæc* | Felicia, |
| Vocat: | *ô, ô* | Felices, | *ô* | Felicia, |
| Ablat: | *ab his, ab his* | Felicibus. | *ab his* | Felicibus. |

# QVARTA DECLINATIO.

| NVM: SINGVL: | | | NVM: PLVRALI. | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hic* | Caſus, | Nomi: | *Hi* | Caſus, |
| Genit: | *huius* | Caſus, | Genit: | *horum* | Caſuum, |
| Datiu: | *huic* | Caſui, | Datiu: | *his* | Caſibus, |
| Accuſ: | *hunc* | Caſum, | Accuſ: | *hos* | Caſus, |
| Vocat: | *ô* | Caſus, | Vocat: | *ô* | Caſus, |
| Ablat: | *ab hoc* | Caſu. | Ablat: | *ab his* | Caſibus. |

NVMERO SINGVLARI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hæc* | Manus | Domus, |
| Genitiuo | *huius* | Manus | Domus & Domi, |
| Datiuo | *huic* | Manui | Domui & Domo, |
| Accuſatiuo | *hanc* | Manum | Domum, |
| Vocatiuo | *ô* | Manus | Domus, |
| Ablatiuo | *ab hac* | Manu | Domo. |

NVMERO PLVRALI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hæ* | Manus | Domus, |
| Genitiuo | *harum* | Manuum | Dómuũ & Domôrum, |
| Datiuo | *his* | Mánibus | Dómibus, |
| Accuſatiuo | *has* | Manus | Domus & Domos, |
| Vocatiuo | *ô* | Manus | Domus, |
| Ablatiuo | *ab his* | Mánibus | Dómibus. |

| NVM: SINGVL: | | | NVM: PLVRALI. | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hoc* | Cornu, | Nomi: | *Hæc* | Córnua. |
| Genit: | *huius* | Cornu, | Genit: | *horum* | Córnuum, |
| Dauit: | *huic* | Cornu, | Datiu: | *his* | Córnibus, |
| Accuſ: | *hoc* | Cornu, | Accuſ: | *hæc* | Córnua, |
| Vocat: | *ô* | Cornu, | Vocat: | *ô* | Córnua, |
| Ablat: | *ab hoc* | Cornu, | Ablat: | *ab his* | Córnibus. |

# QVINTA DECLINATIO.

| Nvm: Singvl: | | | Nvm: Plvrali. | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hæc* | Spécies, | Nomi: | *Hæ* | Species, |
| Genit: | *huius* | Speciei, | Genit: | *harum* | Speciérum, |
| Datiu: | *huic* | Speciei, | Datiu: | *his* | Speciébus, |
| Accuſ: | *hanc* | Spéciem, | Accuſ: | *has* | Spécies, |
| Vocat: | *ô* | Spécies, | Vocat: | *ô* | Spécies, |
| Ablat: | *ab hac* | Spécie. | Ablat: | *ab his* | Speciebus. |

| Nvm: Singvl: | | | Nvm: Plvrali. | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Nomi: | *Hic* vel *Hæc* | Dies, | Nomi: | *Hi* | Dies, |
| Genit: | *huius* | Diei, | Genit: | *horum* | Diérum, |
| Datiu: | *huic* | Diei, | Datiu: | *his* | Diébus, |
| Accuſ: | *hunc* vel *hanc* | Diem, | Accuſ: | *hos* | Dies, |
| Vocat: | *ô* | Dies, | Vocat: | *ô* | Dies, |
| Ablat: | *ab hoc* vel *hac* | Die. | Ablat: | *ab his* | Diebus. |

Admónitio. *Nihil priùs in Grammática Paruulórum ánimis putâmus eſſe inſtillandum: quàm Declinationum ac Coniugationum Exêmpla: vtpote ea, quæ & Definitionibus, & Diuiſionibus quibúſuis magis neceſſaria, ac frequentiora eſſe videntur. Quod quidem & Quintilianus InſtitutiónumOratoriárumLibri I. Cap. 7. his verbis commêndat: (Nomina prius declinare & Verba Pueri ſciant: neq; enim áliter ad ſequentium intellectum peruenire poſſunt.) Vnde maximè hîc eorum probâmus conſilium; qui Declinatiónum & Coniugatiónum Exempla primò Tyronibus propónunt ediſcênda; deindè eos ad Definitiónes & Diuiſiónes Grammáticæ ac Pártium Orationis deducunt: item quoq; illorum; qui ubi docuerint Tyrónes Nómina ſepáratim expeditè declinare aßignant illis, Adiectiuum cum Subſtantiuo, vel duo Subſtantiua vnius rei, ſiue fúerint Declinationis eiuſdem, ſiue diuerſæ, coniunctim inflectenda, quod in Grádibus etiam Comparationis fieri oportet: at nonniſi, tum, cùm eos in quouis Genere ſeparátim Puer inflectere didicerit.*

## Comparátiones per omnes Caſus.

### NVMERO SINGULARI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hic* | Verus | verior | veriſſimus, |
| | *Hæc* | Vera | verior | veriſſima, |
| | *Hoc* | Verum | verius | veriſſimum. |
| Genitiuo | *Huius* | Veri | verioris | veriſſimi, |
| | *Huius* | Veræ | verioris | veriſſimæ, |
| | *Huius* | Veri | verioris | veriſſimi. |
| Datiuo | *Huic* | Vero | veriori | veriſſimo, |
| | *Huic* | Veræ | veriori | veriſſimæ, |
| | *Huic* | Vero | veriori | veriſſimo. |
| Accuſatiuo | *Hunc* | Verum | veriorem | veriſſimum, |
| | *Hanc* | Veram | veriorem | veriſſimam, |
| | *Hoc* | Verum | verius | veriſſimum. |
| Vocatiuo | *ô* | Vere | verior | veriſſime, |
| | *ô* | Vera | verior | veriſſima, |
| | *ô* | Verum | verius | veriſſimum. |
| Ablatiuo | *Ab hoc* | Vero | veriore *Vel* i | veriſſimo, |
| | *Ab hac* | Vera | veriore *Vel* i | veriſſima, |
| | *Ab hoc* | Vero | veriore *Vel* i | veriſſimo. |

### NVMERO PLVRALI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hi* | Veri | veriores | veriſſimi, |
| | *Hæ* | Veræ | veriores | veriſſimæ, |
| | *Hæc* | Vera | veriora | veriſſima. |
| Genitiuo | *Horum* | Verorum | veriorum | veriſſimorum, |
| | *Harum* | Verarum | veriorum | veriſſimarum, |
| | *Horum* | Verorum | veriorum | veriſſimorum. |

Datiuo *per omnia Genera, His* Veris verioribus veriſſimis.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Accuſatiuo | *Hos* | Veros | veriores | veriſſimos, |
| | *Has* | Veras | veriores | veriſſimas, |
| | *Hæc* | Vera | veriora | veriſſima. |

Vocatiuo *ita Vt in* Nominatiuo.

Ablatiuo, *per omnia Genera, Ab his* Veris verioribus veriſſimis.

## Numero Singulari.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hic* | Acer | acrior | acerrimus, |
| | *Hæc* | Acris | acrior | acerrima, |
| | *Hoc* | Acre | acrius | acerrimum. |
| Genitiuo | *Huius* | Acris | acrioris | acerrimi, |
| | *Huius* | Acris | acrioris | acerrimæ, |
| | *Huius* | Acris | acrioris | acerrimi. |
| Datiuo | *Huic* | Acri | acriori | acerrimo, |
| | *Huic* | Acri | acriori | acerrimæ, |
| | *Huic* | Acri | acriori | acerrimo. |
| Accuſatiuo | *Hunc* | Acrem | acriorem | acerrimum, |
| | *Hanc* | Acrem | acriorem | acerrimam, |
| | *Hoc* | Acre | acrius | acerrimum. |
| Vocatiuo | *ô* | Acer | acrior | acerrime, |
| | *ô* | Acris | acrior | acerrima , |
| | *ô* | Acre | acrius | acerrimum. |
| Ablatiuo | *Ab hoc* | Acri | acriore *Vel* i | acerrimo, |
| | *Ab hac* | Acri | acriore *Vel* i | acerrima, |
| | *Ab hoc* | Acri | acriore *Vel* i | acerrimo. |

## Numero Plurali.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hi* | Acres | acriores | acerrimi, |
| | *Hæ* | Acres | acriores | acerrimæ, |
| | *Hæc* | Acria | acriora | acerrima. |
| Genitiuo | *Horum* | Acrium | acriorum | acerrimorum. |
| | *Harum* | Acrium | acriorum | acerrimarum. |
| | *Horum* | Acrium | acriorum | acerrimorum. |

Datiuo *per omnia Genera, His* Acribus acrioribus acerrimis.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Accuſatiuo | *Hos* | Acres | acriores | acerrimos, |
| | *Has* | Acres | acriores | acerrimas, |
| | *Hæc* | Acria | acriora | acerrima. |

Vocatiuo *ita, Vt in* Nominatiuo.

Ablat : *per omnia Genera , Ab his* Acribus acrioribus acerrimis.

## NVMERO SINGVLARI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hic* | Bonus | mélior | óptimus, |
| | *Hæc* | Bona | melior | óptima, |
| | *Hoc* | Bonum | melius | óptimum. |
| Genitiuo | *Huius* | Boni | melióris | óptimi. |
| | *Huius* | Bonæ | melióris | óptimæ, |
| | *Huius* | Boni | melióris | óptimi. |
| Datiuo | *Huic* | Bono | meliori | óptimo, |
| | *Huic* | Bonæ | meliori | óptimæ, |
| | *Huic* | Bono | meliori | óptimo. |
| Accuſatiuo | *Hunc* | Bonum | meliorem | óptimum, |
| | *Hanc* | Bonam | meliorem | óptimam, |
| | *Hoc* | Bonum | melius | óptimum. |
| Vocatiuo | *ô* | Bone | melior | óptime, |
| | *ô* | Bona | melior | óptima, |
| | *ô* | Bonum | melius | óptimum. |
| Ablatiuo | *Ab hoc* | Bono | meliore *vel* i | óptimo, |
| | *Ab hac* | Bona | meliore *vel* i | óptima, |
| | *Ab hoc* | Bono | meliore *vel* i | óptimo. |

## NVMERO PLVRALI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Nominatiuo | *Hi* | Boni | meliores | óptimi. |
| | *Hæ* | Bonæ | meliores | óptimæ, |
| | *Hæc* | Bona | meliora | óptima. |
| Genitiuo | *Horum* | Bonorum | meliorum | óptimorum. |
| | *Harum* | Bonarum | meliorum | óptimarum, |
| | *Horum* | Bonorum | meliorum | óptimorum. |

Datiuo *per omnia Genera, His* Bonis melioribus optimis.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Accuſatiuo | *Hos* | Bonos | meliores | óptimos, |
| | *Has* | Bonas | meliores | óptimas, |
| | *Hæc* | Bona | meliora | óptima. |

Vocatiuo, *ita vt in* Nominatiuo.

Ablat: *per omnia Genera, Ab his* Bonis melioribus optimis.

DE PRO-

# DE PRONOMINE.

Quid eſt PRONOMEN? *Eſt vox declinabilis loco nominis poſita, Perſonam ſignificans, vt* Ego, Tu, Ille.

Quot ſunt Pronominis

1. Accidentia? *Octo:* Figura, Species, Qualitas, Perſona, Genus, Declinatio, Numerus, Caſus.
2. Figuræ? *Tres:* Simplex, vt *Ego*, Compoſita, vt *Egoipſe*, Decompoſita, vt *Egometipſe*.
3. Species? *Duæ:* Primitiua, vt *Ego*, *Tu*, *Sui*, Deriuatiua, vt *Meus, Tuus, Suus.*
4. Perſonæ? *Tres:* Prima, vt *Ego*, *Nos*, Secunda, vt *Tu, Vos,* Tertia, vt *Ille, Illi.*
5. Genera? *Quatuor:* Maſculinum, Fæmininum, Neutrum, Omne.
6. Declinationes? *Quinque:* Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta.
7. Numeri? *Duo:* Singularis & Pluralis.
| Supina. | 1. 2. 3. 4. | um, | u. | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Participia ſignificationis Activæ duo: | Præſens, | 1. | ans. |
| | | 2. 3. | ens. |
| | | 4 | iens. |
| | Futúrum | 1. 2. 3. 4. | úrus, a, um. |

Forma

## Forma Generâlis quátuor Conjugatiónũ in *OR*.

**Indicativus Modus habet Témpora quinque:**

**Præſens.**

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Singular. | 1. | *or,* | *âris vel âre,* | *âtur,* |
| | 2. | *eor,* | *éris vel ére,* | *étur.* |
| | 3. | *or,* | *eris vel ere,* | *itur.* |
| | 4. | *ior,* | *îris vel ire,* | *itur.* |
| Plural. | 1. | *âmur, âmini* | | *ântur.* |
| | 2. | *émur, émini,* | | *êntur.* |
| | 3. 4. | *imur, imini,* | | *úntur.* |

**Imperfect:**

| | | | |
|---|---|---|---|
| *S.* 1. 2. 3. 4. | *bar,* | *bâris vel bâre,* | *bâtur.* |
| *P.* 1. 2. 3. 4. | *bámur,* | *bâmini,* | *bântur.* |

**Perfectum**

*S.* 1. 2. 3. 4. *Sum vel fui us, es vel fuiſti us, &c.*
*P* 1. 2. 3. 4. *Sumus vel fúimus, eſtis vel fuiſtis i, &c.*

**Pluſquam**

*S.* 1. 2. 3. 4. *Erã vel fuerã us, eras vel fúeras us, &c*
*P.* 1. 2. 3. 4. *Eramus vel fuerâmus i, eratis, &c.*

**Futúrum.**

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1. 2. | *S. bor,* | *beris, vel bere,* | *bitur.* |
| | *P. bimur,* | *bimini,* | *buntur.* |
| 3. 4. | *S. ar,* | *éris vel ére,* | *étur.* |
| | *P. emur,* | *émini,* | *éntur.* |

**Imper: Modus habet Temp: duo:**

**Præſens**

| Singul. | | Plural. | |
|---|---|---|---|
| 1. | *âre,* | 1. | *ámini.* |
| 2. 3. | *ére,* | 2. | *émini.* |
| 4. | *ire.* | 3. 4. | *imini* |

**Futúrum.**

| | | | |
|---|---|---|---|
| Singul. | 1. | *âtor,* | *âtor.* |
| | 2. | *étor,* | *étor.* |
| | 3. 4. | *itor,* | *itor.* |
| Plural. | 1. | *âminor,* | *ântor.* |
| | 2. | *éminor,* | *éntor.* |
| | 3. 4. | *íminor,* | *úntor.* |

SUB-

Subjunctivus Modus habet Témpora quinque.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Præſens. | 1. | S. | *er,* | *êris vel ere,* | *etur.* |
| | | P. | *emur,* | *emini,* | *entur.* |
| | 2. 3. 4. / 3. 4. | S. | *ar,* | *aris vel are* | *atur.* |
| | | P. | *âmur,* | *âmini,* | *antur.* |
| Imperfect: | Singul. | 1. | *arer,* | *areris vel rere,* | *aretur.* |
| | | 1. 3. | *erer,* | *ereris vel erere,* | *eretur.* |
| | | 4. | *irer,* | *ireris vel rere,* | *iretur.* |
| | Plural. | 2. | *aremur,* | *aremini,* | *arentur.* |
| | | 2.3. | *eremur* | *eremini,* | *erentur.* |
| | | 4. | *iremur,* | *iremini,* | *irentur.* |

| | | |
|---|---|---|
| Perfectum | S. 1. 2.3. 4. | *Sim vel fuerim us, ſis vel fueris us, &c.* |
| | P. 1. 2. 3. 4. | *Simus vel fuerimus i, ſitis fueritis, &c.* |
| Pluſquam | S. 1. 2.3.4. | *Eſſem vel fuiſſem us, eſſes vel fuiſſes, &c.* |
| | P. 1. 2. 3. 4. | *Eſſemus vel fuiſſemus i, eſſetis, &c.* |
| Futúrum | S. 1. 2. 3. 4. | *Ero vel fuero us, eris vel fueris us, &c.* |
| | P. 1. 2. 3. 4. | *Erimus vel fuerimus i, eritis, &c.* |

Infinitivus Modus habet Témpora quinque.

| | | |
|---|---|---|
| Præſens &præteritũ imperfectum | 1. *ari.* 3. *i.* | |
| | 2. *eri.* 4. *iri.* | |
| Perfectum & pluſquam *Eſſe vel fuiſſe.* | Sing. 1. 2. 3. 4. | *um, am, um.* |
| | Plur. 1. 2. 3. 4. | *es, as, a.* |
| Futúrum, *um, iri* vel | Singu. | *Eſſe dum, dam, dum.* |
| | Plural. | *Eſſe dos, das, da.* |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Participij, | Prætéritum, | 1. 2. 3. 4. | *us, a, um.* |
| | Futúrum, | 1. 2. 3. 4. | *dus, da, dum.* |

Annotá-

Annotátio. *Verba Commúnia & Deponéntia ab Indicatiui Præſenti ad Futurum Infinitiui eandem habent Terminationem, in omnibus omnium Modorum Temporibus & Perſonis, quàm ipſa Verba Paſſiua: at verò à Futuro ad finem longè diuerſam, ut patet in his ſubjectis Formulis.*

## Fórmula Verbórum Deponéntium.

- Infinitiui Futúrum
  - *S Eſſe úrum, úram, úrum.*
  - *P. Eſſe úros, úras, úra.*
- Admonitio. *Caue hîc dicere* Vm iri.
- Gerundia ſunt tria: *Di, do, dum.*
- Supina, *Vm, u.*
- Participij:
  - Præſens in *Ns.*
  - Prætéritum in *Vs, a, um.*
  - Futúrum in *Rus, a, um.*

## Fórmula Verbórum Commúnium.

- Infinitiui Futúrum
  - Actiuum,
    - *S. Eſſe rum, ram, rum.*
    - *P. Eſſe ros, ras, ra.*
  - Paſſiuum,
    - *S. Eſſe dum, dam, dum.*
    - *P. Eſſe dos, das, da.*
- Gerundia ſunt tria: *Di, do, dum.*
- Supina: *Vm, u.*
- Participij:
  - Præſens in *Ns.*
  - Prætéritum in *Vs, a, um.*
  - Futúrum
    - Actiuum in *Rus, a, um.*
    - Paſſiuum in *Dus, a, um.*

## De Formatiónibus Témporum.

*Præſens & Præteritum perfectum Indicatiui, itemq́ Supinum cujuslibet Verbi optime nouerit Grammaticus? Nam ſi hæc tria ſciuerit, totam facillimè poterit ſcire Conjugationem, cùm hæc tria ſint veluti principia quædam, ex quibus cætera ferè omnia naſcuntur. Porrò quæ Tempora à Præſenti, quæ à Præterito, & quæ à Supino oriantur, ſequens Tabula oſtendet.*

TABV-

# T A B V L A.

- **Præſens** *Amo.*
  - Indicatiui,
    - Imperfectum
    - Futúrum
      - Præſens Participij.
        - 1. Gerundia;
        - 2. Futúrum Participij in *Dus.* *Ex hoc fit Futurum Paſſiuum Infinitiui addito* Eſſe.
  - Imperatiui,
    - Præſens.
    - Futúrum.
  - Subjunctiui,
    - Præſens.
    - Imperfectum
  - Infinitiui, Præſens & Imperfectū;

- **Prætéritū** *Amaui*
  - Indicatiui pluſquam perfectum, *Ram*
  - Subjunctiui,
    - Perfectum, *Rim.*
    - Pluſquam perf: *Sſem.*
    - Futúrum. *Ro.*
  - Infin: Perf: & Pluſq: perf: *Sſe.*
  - ſic *Memini, Odi, Noui, Cœpi.*

- **Supinum** *Amatum*
  - 1. Futúrum Paſſiuum Infinitiui áddito *Iri*
  - 2. Futúrum Participij in *Rus.* *Ex hoc fit infinitiui Futúrum addito* Eſſe.
  - 3. Participij Præteritum *Ex hoc fit*
    - Indicatiui.
      - Perfectum, *Sum vel fui* N.
      - Pluſ: perf: *Eram vel fuerã* N.
    - Subjunctiui.
      - Perfectum *Sim vel fuerim* N.
      - Pluſ: perf: *Eſſem vel fuiſſẽ* N.
      - Futúrum. *Ero vel fuero* N.
    - Infinitiui,
      - Perfectum, Pluſ: perf: *Eſſe vel fuiſſe.*

## Declaratio Tabulæ.

1. *Conſtituantur iſta tria principia nempe* Præſens, Præteritum, & Supinum *ſic*, v. g. *Amo, amaui, amatum. Dico, dixi, dictum. Traho, traxi, tractum, quæ ex ſecundo Libro Grammaticarum Inſtitutionum peti poſſunt.*

2. *A Præ-*

*A Præſenti cujuslibet Modi Præſens & Imperfectum, itemq; Futurum Indicativi & Imperativi formatur.*

*A Præterito cujuslibet Modi Perfectum, & Pluſquam perfectum & Futurum Subjunctivi oritur.*

*A Supino fit primo Participij Futurum in* Rus, *quod Futurum addito* Eſſe, *vel* Fore, *ſupplet Futurum Infinitivi Activæ vocis.*

*Secundò fit à Supino Præteritum Participij, ſi Verbum non eſt Neutrum.* Hoc *Participium conjunctum cum Verbo* Sum. *ſupplet perfecta, & pluſquam perfecta, & Futura Subjunctivi, Verborum in* Or, *& Neutropaſſivorum.*

*Tertiò fit à Supino Futurum Paſſivum Infinitivi Modi addita voce* Iri.

3. Talibus Verbis uti oportet circa formationem quæ fit.

*A Præſenti, Formantur à ſecunda Perſona Singulari Indicatiui Modi Temporis Præſentis nempe ab* Amas, *ſic, mutato* S *in* Bam, *fit* Amabam.

*A Præterito. Formatur à prima Perſona Præteriti perfecti Indicatiui Modi nempe ab* Amaui, *ſic, mutata literâ* I *in* E, *fit* Amave; *& addita ſyllabâ* Ram, *fit* Amaueram, *&c.*

*A Supino. Formatur à Supino nempe ab* Amatum, *ſic, mutatâ literâ* M *in* Rus, *fit* Amaturus, *&c.*

*Formatio à Præſenti ferè ſolis Analogis Verbis convenit: at verò à Præterito & Supino omnibus Verbis etiam Defectivis.*

*Verba in* Or *Præſentia, Imperfecta, item Indicatiui & Imperatiui Futura formant à Verbis Activæ vocis ſiue veræ, ſiue fictæ, & ab iiſdem quidem Temporibus, ut ex* Amabam, *fit* Amabar; *ex ficto,* Criminabam, *fit* Criminabar.

*Verba in* Or *Præterita perfecta & pluſquam perfecta, & Futura Subjunctivi & Infinitivi ex Verbo* Sum *& Participio habent compoſita, prout Verba Neutropaſſiua.*

De Im-

## De Imperatiui Modi Perſónis.

*Præſens Imperatiui Vtriúſque Númeri Primis & Tertijs Perſonis. Futurum Verò tantùm Primis, pace tuâ Lector Candide carere docêmus, idq; propterea, Vt eam difficultatem, quam Tyrónes in his Perſonis formândis experiúntur máximam omninó tollâmus. Illas Verò Perſonas quæ commúniter ponúntur non Imperatiui; ſed Subiunctiui, dicimus eſſe Modi: quod quidem Ver m eſſe & Terminatio iſtârum Perſonárum & Vſus Subiunctiui pro Imperatiuo per Analogen frequentiſsimus oſtêndit & probat.*

## Ratio formandârum Perſonârum in Imperatiuo, à Perſonis Temporis Præſentis Indicatiui.

| | |
|---|---|
| Verborum deſinéntiũ in *O*, vel *M*, Imperatiui Modi Temporis. | Præſéntis, Secûnda Perſona Plurális, *fit ex Tértia Singulari, áddito* E, *Vt ex* Amat *fit* Amâte: eſt, eſte: fert, ferte.<br>Futúri Perſona Singularis, Secúnda & Tértia *fit ex Tértia Singulari, addito* O, *Vt ex* Amat, *fit* Amâto: eſt, eſto.<br>Futúri Perſona Plurâlis Secûnda, *fit ex Tértia Singulari, áddito* O te, *Vt ex* Amat *fit* Amatôte: ex eſt, fit eſtote.<br>Futúri Perſonæ Plurâlis Tértia, *fit ex Tértia Plurali, áddito* O, *Vt ex* Amánt, *fit* Amânto. |

| | |
|---|---|
| Verborum deſinéntiũ in *Or*, Imperatiui Modi Temporis. | 1. Præſentis Perſòna Secûnda Singularis. *ſimilis eſt Perſònæ Secundæ Singulari Indicatiui in* E, *Vt* Amate.<br>2. Præſentis Perſôna Secûnda Pluralis, *ſimilis eſt Secundæ Plurâli Indicatiui*, *Vt* Amámini, Docemini.<br>3. Futúri Perſona Singularis, Secúnda & Tértia *fit ex Tértia Singulari, mutato* V *in* O, *Vt ex* Amâtur, *fit* Amâtor tu.<br>4. Futúri Perſona Pluralis Secunda, *fit ex Secúndæ Plurâli, mutato* I *in* Or, *Vt ex* Amámini *fit* Amâminor.<br>5. Futúri Perſona Pluralis Tértia, *fit ex Tértia Plurali mutato* V *in* O, *Vt ex* Amantur, *fit* Amantor. |

# De Modo Optatiuo, Potentiali & Permiſſiuo.

*Licet ſeptem in Verbo Modos admittamus: tamen quatuor tantùm expreſſè ponimus propterea, quia iſtorum trium Modorum .ſ. Optatiui, Potentialis, & Permiſſiui ex Subiunctiuo Modo ſuæ memoriæ optimè impreſſo faciliùs, & citiùs, Púer Repetitionis tempore à Præceptore addiſcet inflexionem, quàm ſi eam hic expreſſam haberet. Nam iſti tres Modi ferè ubiq; ita ſunt inflectendi vt inflectitur Subiunctiuus. Omiſſis ergo his tribus illorum tantum quatuor inflexionem à Principio Tyronibus ediſcendam Præceptor aſſignet.*

## Modus Optatiuus.

*In Optatiuo omnia Tempora eſſe diuerſa, & diuerſam habere Terminationem, præter Futurum quod (ſi datur) ſimile debet eſſe Præſenti Subiunctiui, Veterum Exempla teſtantur,*

## Modus Potentialis.

*Modus Potentialis.*

- *Habet Tempora quinque & eaſdem in omnibus Temporibus & Perſonis terminationes, quas habet Subiunctiuus: præter primam Singularem Futuri, quæ debet eſſe ſimilis Primæ Singulari perfecti eiuſdem Modi, & tripliciter ſolet explicari.*
- *Primò explicatur per* Poſſum. *Hor: Quis eum dignè laudârit ſeu ſcripſerit;* id eſt, *laudare poterit. Quin: Frangas citiùs quàm corrigas, quæ in prauum induruerunt;* id eſt, *frangere poteris.*
- *Secundò explicatur per* Debeo. *Vir: Eloquar an ſileam?* id eſt, *Debeóne eloqui an ſilere?*
- *Tertiò explicatur per* Volo. *Vt quis crederet mendaci?* id eſt, *Quis vellet credere?*

## Modus Permiſſiuus.

*Modus Permiſſiuus, & Tempora & Terminationes omnes penitus eaſdem habet quas Subiunctiuus. Cic: Fuerit Carbo alijs improbus, at, tibi quando cœpit? Idem: Sit fur, ſit Sacrilegus; at eſt bonus Imperator,*

DE

# DE PARTICIPIO.

Quid eſt Participium? *Eſt vox flexibilis, Accidentia Nominis & Verbi Participans:* *vt* Legens, dans.

Quot ſunt in Participio Accidentia? *Septem:*

1. Figura, Tempus, Significatio, Genus, Declinatio, Numerus, Caſus.
2. Figuræ *Tres:* Simplex, vt *Volans.* Compoſita, vt *Euolans.* Decompoſita, vt *Supereuolans.*
3. Tempora *Tria:* Præſens, Præteritum, & Futurum.
4. Genera: *Quatuor:* Maſculinum, Fæmininum, Neutrum, Omne.
5. Declinationes *Tres:* Prima, Secunda, Tertia.
6. Numeri *Duo:* Singularis, & Pluralis.
7. Caſus *Sex:* Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accuſatiuus, Vocatiuus, Ablatiuus.

# DE ADVERBIO.

Quid eſt Adverbium? *Eſt vox inflexibilis, quæ adiuncta Verbo aut Nomini, aut Participio, aut alteri Aduerbio, eius ſignificationem determinat,* *vt* Benè, malè, citò, &c.

# DE CONIUNCTIONE.

Qui eſt Coniunctio? *Eſt vox inflexibilis, coniungens vel etiam diſiungens voces, aut ſententias,* *vt* Et, aut, quocirca, &c.

Quæ voces ſunt Coniunctionis Partis? *Iſtæ omnes:*

Primò, Ordinis Præpoſitiui: *Ac, an, at, atque, atqui, aſt, aut, &, nam, namque, num, nec, neque, quare, quamobrem quapropter, quamquam, quocirca, ſed, ſeu, ſiue, vel vtrum.*

Secundò Ordinis Poſtpoſitiui: *Autem, enim, quidem, quoque, verò, que, ve, ne.*

Tertiò, Ordinis Communis: *Alioqui, alioquin, dum, duntaxat, enimuerò, equidem, ergo, etiam, etiamſi, iccircò, idcircò, ideò, igitur, itaque, licet, modò, nempè, ni, niſi, porrò, propterea, quatenus, quia, quò, quòd, quoniam, ſaltem, ſi, tamen, tametſi, tantummodo, verum, verumtamen, videlicet, vt, vtique.*

# DE PRÆPOSITIONE.

Quid eſt PRÆPOSITIO? *Eſt Vox quæ álijs Oratiónis Partibus ferè præpónitur, Vt* Ad, in, pro. &c.

Quæ voces ſunt Præpoſitiónis Partis? *Iſtæ omnes:*

Primò. Accuſatiuum regéntes: *Ad, apud, ante, cis, circa, circum, circiter, citra, extra, infra, inter, intra, iuxta, ob, penes, per, pone, poſt, præter, propè, propter, ſecundùm, ſupra, ſecus, trans, Vltra;* Item, *contra, erga, aduerſus & aduerſum.*

Secúndò, Ablatiuo gaudéntes: *Abſq;, cum, coram, de, palam, præ, pro, ſine.*

Tertiò: *A* & *E*. Quartò: *Ab* & *Ex*.

Quintò: *Abs, tenus, Verſus.*

Sextò: *In, ſub, ſuper,* & *ſubter.*

# DE INTERIECTIONE.

Quid eſt INTERIECTIO? *Eſt Vox indeclinábilis, affectum ánimi ſignificans: Vt* Ah, heu, io, ha, ha, ha.

Quæ vocábula ſunt Interiectiónis Partis? *Iſta omnia:*

Ah, *á ách.*
Aha, *ách.*
Atat, *och iuści, báwey.*
Au, *au, to to to.*
Euge, *á, hey.*
Eia, *nuż, nuże.*
Eho, *á iuż, ſłyß.*
Ehódum, *ſłuchay-iedno, chodź ſám.*
Ha, ha, *chá, chá, chá.*
Hei, *hey nieſtetyż*
Hem, *he, czegoż.*
Hoſanna, *Viuat, Viuat.*
Heu, *o nieſtetyż.*
Heu, heu, *o świećie.*

Heus, *hey ſłyßyß.*
Hui, *wygrałeś, to to to.*
Io, *hey, hoy.*
O, *o, och och.*
Oh, *och, iużci po mnie.*
Ohe, *o ho ho, doſyćże też iuż.*
O ſi, *day Boże.*
O vtinam, *bodáy.*
Phy, *pf, pfá, pfe.*
Prô, *przebog, Mátko Boża.*
Papæ! *czáśie Páńſki, báwey.*
St, *cyt, milcz.*
Vah, *otoż maß, otoż tobie.*
Væ, *biádá,* &c.

# RATIO.

## Repetitiónis & Reductiónis inſtituéndæ.

Repetitio *eſt iterátio ſeu ſæpiùs renouâta & iterâta áctio, per hanc Grammátici ſua Puerórum mentibus imprimúnt Præcepta: poteſt autem triplex ſtátui. Prima Generalis, id eſt, ipſorum Præceptórum. Secúnda Speciális, id eſt, Vocum tantùm. Tertia Mixta .ſ. Vocum ſimul & Præceptórum.*

Repetitio *Generalis eſt, quando ipſa Præcêpta nuda cum Púeris iterum iterumq; repetimus, & ea ipſis ſæpius per iſtas Interrogationes inculcâmus.* Primò, *Quid eſt Grammática? Quot ſunt Partes Grammáticæ? Quid eſt Orthographia? Etymologia? Syntaxis? Proſodia? Quot ſunt Literæ? Vocales? Conſonantes? &c.* Deinde *in Nomine. Quid eſt Nomen? Quótuplex eſt Nomen? Quid eſt Nomen Subſtantiuum? Quid Adiectiuum? Quid Proprium? &c. &c.* Tandem *in Pronomine, in Verbo, & alijs Pártibus Orationis, recenſendo eas interrogatiónes omnes, quæ ſunt cuilibet Parti Orationis, expreſſè adiunctæ. In hac generali Repetitióne primò Puer exerceatur diligentiſſimè; & tamdiu circa ipſam occupêtur; donec ad quamlibet iſtárum Interrogatiónum promptiſſimè reſpondêre póterit. claram autem iſtorum, quæ nunc velut pica próferret, progrediente tempore conſequêtur intelligentiam.*

Repetitio *Speciális, ſeu potius Exâmen Vocum eſt, quando de Natúra, Proprietatibus & accidentibus Dictiónum ſolummodo Puerum interrogâmus.*

Repetitio *Mixtâ eſt, quando non modo de natúra, proprietátibus, & accidentibus Dictiónum Púerum interrogâmus; verùmetiam ferè quámlibet ſuam reſponſiónem veram eſſè Regula probâre & velut confirmâre iubêmus, quo loco próximè ad Syllogiſmos vel Enthymemata in nonnullis accedimus. Nam Regulæ ápud Grammáticos id valent: quod apud Lógicos Axiómata. Porrò Exempla ſequentia & Speciali & Mixtæ inſeruient Repetitioni. Speciali, ſi tantùm prióribus vſus fúeris interrogatiónibus. Mixtæ verò ſi priores & poſteriores, ſimul coniúnxeris.*

## EXEMPLUM IN NOMINE.

| | | |
|---|---|---|
| *Viarum.* | Thema? | Thema *Via.* |
| *Via* | Qualis vox? | Flexibilis. |
| *Via* | Cuius Partis? | Nominis. |
| *Via* | Quale Nomen? | Subſtantiuum. |
| *Via* | Quale Subſtantiuum? | Appellatiuum. |
| *Via* | Cuius Figuræ? | Simplicis. |
| *Via* | Cuius Speciei? | Primitiuæ. |
| *Via* | Quotæ Declinationis? | Primæ. |
| *Via* | Cuius Generis? | Feminini. |
| *Viarum* | Cuius Numeri? | Pluralis. |
| *Viarum* | Cuius Caſus? | Genitiui. Declina *Via.* |

*Optimam* Thema? Thema *Optima.* Qualis vox? Flexibilis. *Optima* Cuius Partis? Nominis. *Optima* Quale Nomen? Adiectiuum. *Optima* Quale Adiectiuum? Comparabile. *Optima* Quali Comparatione comparatur? Irregulari. *Optima* Cuius Gradus? Superlatiui. *Optima* Quot terminationum? Trium .ſ. *Optimus, a, um, Optima* Quotæ Declinationis? Primæ. *Optima* Cuius Generis? Feminini. *Optimam* Cuius Numeri? Singularis. *Optimam* Cuius Caſus? Accuſatiui. Declina *Optima*, vel ſi placet Compara.

## EXEMPLUM IN PRONOMINE.

| | | |
|---|---|---|
| *Mihi?* | Thema? | Thema *Ego.* |
| *Ego* | Qualix vox? | Flexibilis. |
| *Ego* | Cuius Partis? | Pronominis. |
| *Ego* | Cuius Figuræ? | Simplicis. |
| *Ego* | Cuius Speciei? | Primitiuæ. |
| *Ego* | Cuius Perſonæ? | Primæ. |
| *Ego* | Cuius Generis? | Omnis. |
| *Ego* | Quotæ Declinationis? | Quintæ. |
| *Mihi* | Cuius Numeri? | Singularis. |
| *Mihi* | Cuius Caſus? | Datiui. Declina *Ego.* |

EXEM-

## Exemplum In Verbo.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Legêtis* | Thema ? | Thema *Lego.* | |
| *Lego* | Qualis vox ? | Flexibilis. | |
| *Lego* | Cuius Partis ? | Verbi. | |
| *Lego* | Quale Verbum ratiône Perſonæ ? | | Perſonâle. |
| *Lego* | Quale Verbum ratiône Coniugationis ? | | Analogum. |
| *Lego* | Quale Verbum ratiône Syntâxis ? | | Tranſitiuum. |
| *Lego* | Quale Verbum ratiône rei ſignificatæ ? | | Adiectiuum. |
| *Lego* | Cuius Figuræ ? | Simplicis ? | |
| *Lego* | Cuius Speciei ? | Primitiuæ. | |
| *Lego* | Quotæ Coniugationis ? | Tertiæ. | |
| *Lego* | Cuius Generis ? | Actiui. | |
| *Legêtis* | Cuius Modi ? | Indicatiui. | |
| *Legêtis* | Cuius Temporis ? | Futúri. | |
| *Legêtis* | Cuius Númeri ? | Plurâlis. | |
| *Legêtis* | Quotæ Perſonæ ? | Secundæ. Coniuga *Lego.* | |

## Exemplum In Participio.

| | | |
|---|---|---|
| *Eúntis* | Thema ? | Thema *Iens.* |
| *Iens* | Qualis vox | Flexibilis. |
| *Iens* | Cuius Partis ? | Participij. |
| *Iens* | Cuius Figuræ ? | Simplicis. |
| *Iens* | Cuius Temporis ? | Præſentis. |
| *Iens* | Cuius Significationis ? | Neutrâlis. |
| *Iens* | Cuius Generis ? | Omnis. |
| *Iens* | Quotæ Declinatiônis ? | Tertiæ. |
| *Eúntis* | Cuius Númeri ? | Singuláris. |
| *Eúntis* | Cuius Caſus ? | Genitiui. Declina *Iens.* |

## Exemplum in Partibus inflexibilibus.

*Sæpius* Thema ? Thema *idem.* *Sæpius* Qualis vox ? Inflexibilis. *Sæpius* Cuius Partis ? Aduerbij. *Sæpius* Quale eſt Aduerbiũ ? Comparabile. *Sæpius* Cuius Gradus ? Comparatiui.

Autem *Thema?* *Thema idem.* Autem *Qualis Vox?* *Inflexibilis.* Autem *Cuius Partis?* *Coniunctionis.* *Cuius Ordinis?* *Poſtpoſitiui.*

Ad *Thema?* *Thema idem.* Ad *Qualis Vox?* *Inflexibilis.* Ad *Cuius Partis?* *Præpoſitionis.* *Quem Caſum regit?* *Accuſatiuum.*

Væ *Thema?* *Thema idem.* *Qualis Vox?* *Inflexibilis.* *Cuius Partis?* *Interiectionis.* *Quem Caſum regit?* *Datiuum.*

EXEMPLUM Repetitiónis Mixtæ in Nómine.

*Viarum* Thema? Thema *Via.* *Via* Qualis vox? Flexibilis. Quot ſunt Partes Oratiónis flexibiles? Quátuor .ſ. Nomen, Pronomen, Verbum, Participium. Cur dicuntur flexibiles? Quia in fine ſuas terminatiónes variâre poſſunt. *Via* Cuius Partis? Nóminis. Quid eſt Nomen? Eſt vox, per Caſus declinábilis rem ſine Témpore ſignificans. *Via* quale eſt Nómen? Subſtantiuum. Quid eſt Subſtantiuum? Appellatiuum. Quid eſt Appellatiuum? Quod multis conuenîre poteſt. *Via* Cuius Figúræ? Simplicis. Quot ſunt Figúræ? Tres: Simplex, Compóſita, & Decompóſita. ( Quid eſt Nomen Simplicis Figúræ? ) *Via* Cuius Speciei? Primitiuæ. Quot ſunt Species? Duæ, Primitiua & Deriuatiua, &c. &c. Hoc modo eúndem eſt per reliqua Accidentia, aſſignando cuilibet generâlem Interrogatiônem ipſi conueniéntem, vt Generi. Quot ſunt Genera? Declinatióni. Quot ſunt Declinatiónes; &c. Ex hoc autem vno exemplo póterit cógnoſci Repetitio Mixta in álijs Pártibus Oratiônis.

Annotátio. *Thema eſt origo ſeu Principium Vocis, quod in Nómine, Pronómine, & Participio ferè ſemper eſt Nominatiuus Caſus. in Verbo, Prima Singularis Præſentis Indicatiui Perſona, in Pártibus Indeclinabilibus ipſamet Vox quæ profertur.*

De Themate dupliciter quæri poteſt. Primò ſic: v. g. *Mihi* Thema? id eſt, huius Vocis. *Mihi* quod eſt Thema? vel huius Vocis, *Mihi* dicas Thema, id eſt, Principium. Secundò ſic. *Mihi* à quo Themate venit, id eſt, à quo Principio. ſic: *Fortióra* Thema, *Fortius*, *&c.*

DE

## De Reductione.

Redúcere *eſt Voces ad Partes Orátionis aut ad certas Regulas renocáre, ſeu ſub certis Regulis collocáre, Polónicè Odprowádźić* vel *Záprowádźić. Poteſt autem Redúctio ſtátui triplex. Prima ad Etymologiam. Secunda ad Syntaxin. Tertia ad Proſodiam.*

Redúctio *ad Etymologiam ſit, quando ad aliquam Partem Orationis Vocem redúcimus, & omnia Accidentia talis Vocis enumeramus. Hanc ſimilitúdine declaráre Púeris Vtile erit admodum. Aſſumântur* v. g. *Octo Vrbes Vel pagi, his aſsimilêntur Partes Oratiónis octo, ita Vel ipſæ Partes ſint Veluti Vrbes octo, Accidentia Verò ipſarum ſint Veluti leges, libertátes, & priuilegia ciuium. Sicut ergo in octo Vrbibus álij atq; álij habitant Ciues, & álias atq; álias habent leges; ita etiam Vocabula ália in Nomine, ália in Verbo, ália in cæteris Pártibus continentur, & diuerſa Accidentia .ſ. Genus, Figúram, Declinatiónem, &c. habent ſibi conceſſa. Verbi immò & Nóminis Accidentia nonnulla ſic quoq; poſſunt oſtendi .ſ. Verbum Urbis, Coniugátiones Portârum, Modi Plateárum, Tempora lapideârum, Númeri ſuperiôris & inferióris partis, Perſonæ cubiculôrum Vel hypocauſtôrum habeant ratiónem: Nam ſicut Urbs inclúdit Portas & Plateas, iſtæ lapideas, &c. ita Verbum habet quátuor Coniugatiónes, iſtæ modos, Modi Tempora, hæc Números, Númeri Perſónas, in quibus iam eſt quieſcendum. Redúctio ad Etymologiam hoc tantùm differt à Repetitióne Speciáli ſeu ab Exámine Vocum; quia Repetitio ſit per Interrogatiónes, Redúctio Verò ſine Interrogatiónibus, Exemplum Reductionis ſit tale.*

| | |
|---|---|
| *Docébitis* | Thema eſt *Dóceo.* |
| *Dóceo* | Eſt vox flexibilis, & Verbi Partis. |
| *Dóceo* | Eſt Verbum ratióne Perſóne Perſonale, ratióne Coniugationis Análogum Medium, ratióne Syntaxis Tranſitiuum, ratióne ſignificátæ rei Adiectiuum. |
| *Dóceo* | Eſt Figúræ Simplicis Speciéi Primitiuæ. Géneris Actiui. Coniugationis Secundæ. |
| *Docébitis* | 1. Eſt Modi Indicatiui. 2. Temporis Fútûri. 3. Númeri Plurâlis. 4. Perſónæ Secúndæ. |



Ad

*Ad quam Partem Orationis ſit Vox áliqua reducenda ſic cognoſces. Primò teneas memoria omnia Pronomina : item omnes Præpoſitiones, Coniunctiónes & Interiectiones : deinde ſic agas ; Omnis Vox aut eſt Flexibilis, aut Inflexibilis, id eſt, aut ſuas terminationes variat, aut non. Flexibilis ad Declinabiles, Inflexibilis ad Indiclinabiles Partes referetur.*

*Vox* Flexibilis erit Pronóminis Partis, ſi ponitur inter Pronómina. Erit Verbi Partis, ſi póterunt illi addi iſtæ particulæ, *Modo, cras, heri. Ego, tu, ille, nos, vos, illi.* Erit Participij Partis, ſi deſinit in *Ns*, vel *Vs*, & ſignificat differentiam temporis. Erit Nóminis Partis, ſi nec ad Pronómen, nec ad Verbum, nec ad Participium póterit reuocari.

*Vox* Inflexibilis erit Coniunctionis Partis, ſi inter Coniunctiónes, Præpoſitionis, ſi inter Præpoſitiónes, Interiectionis, ſi inter Interiectiónes expreſsè pónitur. Erit Aduerbij Partis, ſi nec inter Coniunctiónes, nec inter Præpoſitiónes, nec inter Interiectiónes à nobis enumeratas ponitur.

Redúctio *ad Syntáxin, eſt, Quando Regulas iuxta quas voces conſtruúntur aſſignâmus, quod ſit dupliciter. Primò iuxta órdinem vocum Lectionis. Secundò iuxta órdinem Regularum.*

Redúctio *ad Proſódiam eſt, quando in Cármine vel Syllabarum Quantitatem inueſtigâmus, & Regulas dicimus, vel pedes Metricos enumerâmus, vel Genus Cárminum vnà cum Accidentibus declarâmus.*

## DE DISPUTATIONE.

Diſputátiones Puerorum illæ ſunt optimæ & vtiles, quæ ex ipſis Præceptis Etymologiæ, Sytaxeos & Proſodiæ fiunt. Illæ verò Quæſtiones ridiculæ, v.g. *Vi, ſocco, no, ſi, calle, te.* vel *Da, no, cur, oui, mage, ſtat,* vel *Sto, dolá, mála,* vel *Mattis, pie, occet.* vel *Dòmo, væ, grati,* vel *Naſcantur, vuas, pie, vinco. Ratus, ſto, i, nauale. Vbi, ligo, tego, cura, miſer, nego, voco. Sua, vola, Pana, doma, ni, mas.* & áliæ ſimiles, quem adferant Tyronibus fructum viderint Præceptores. Nobis profectò minimè placent.

PRA-

# PRAXIS COMPOSITIONIS iuxta Etymologiæ ac Syntaxeos Regulas elimandæ.

STylus eſt Nobiliſſimum Latini & emendati ſermonis comparandi inſtrumentum; & vt ait Cic: *Stylus eſt optimus & præſtantiſſimus tam dicendi quàm loquendi effector atq; Magiſter*: ac proinde dignus in quo Tyrones diligentiſſime ſeſe exerceant, & ſimul feliciſſimos progreſſus quam primum facere enitantur: quod quidem vt faciliùs præſtare poſſint, hanc illis ſequentem doctrinam opportuno volumus eſſe auxilio. Ubi hoc conſilij ipſis damus, vt ſtatim ab initio non cito & multa, ſed benè licet pauca ſcribere incipiant: nam cito & multum ſcribendo non fiet vt benè ſcribant: at verò benè ſcribendo, fiet omninò vt & cito & plurima poſtmodum ſcribere poſſint. Ad hoc autem iſtis tribus opus ſibi eſſe ſciant. Primò ſtudio & ſummâ applicatione mentis, & ijs omnibus, quæ ſtylus præſupponit. Secundò materia tali, quæ ſit ſimplex, facilis, breuis, & iuxta Regulas notas data. Tertiò demonſtratione Modi componendi. Horum primum ad ipſos Tyrones pertinet, & in quouis exercitio eſt retinendum. Secundum ad ipſam materiam, & quodammodo ad Præceptorem, & totum exercitio ſecundo & tertio conuenit, imò & primò Regulis exceptis, quartò verò non niſi ratione ſolius breuitatis competit. Tertium tandem Præceptoris erit proprium & cuilibet exercitio applicandum. Hæc me ſingula nunc probare & declarare Tempus non patitur. Sit autem certum, nos in hoc genere ſimiles naturæ eſſe debere. Ut enim Natura ab imperfectioribus incipiens ad perfectiora progreditur, ita quoque nos à rudioribus, generalioribus, frequentioribus, facilioribus, & ſummè neceſſarijs ad maiora cautè, prudenter, ſuauiter & benignè Tyrones deducere conabimur. Quo fine expedit hoc componendi exercitium in quatuor ætates partiri.

# PRIMUM EXERCITIUM.

PRimum Tyrônum exercitium nullum áliud eſſe debébit, niſi in Indicatiuo Modo eiuſmodi formâta exémpla: *Ia náucze, ty náuczyteś, on náucza, my Vczyliſmy, wy Vczyćie, oni náucza*, & alia plúrima ratione Temporis, Númeri,& Perſónæ variâta: primùm in *Dóceo:* deinde in *Aúdio, amo, lego, ſedeo, duco, &c.* Sed aggreſſûrus Tyro hoc primum exercitium ſciat imprímis ómnium quinque Declinationum Exempla in Nómine & Pronómine, item quátuor Coniugatiónes Analôgorum, & pene totam generâlem Repetitiônem, prætérea iſta:

Ego, *ia*, tu, *ty*, ille, *on*, nos, *my*, vos, *wy*, illi, *oni*, tempus, *czás*, Præſens, *teráźnieyſſy*, Prætéritum, *przeſſty*, Futurum *przyſſty*. Ubi primum hæc omnia præmiſſa didicerit; tum illi exempla ad ſcribendum proponántur. v. g.

| | |
|---|---|
| *Ia náucze*, | *My náuczymy*, |
| *Ty náuczyteś*, | *Wy Vczyćie.* |
| *On náucza*, | *Oni náuczyli*, &c. &c. |

Hæc exémpla ſic erunt ſcribenda: *Ia náucze. Ia* Latinè *Ego.* ſcribatur *Ego. Náucze*, Thema *Náuczam. Náuczam* Latinè *Dóceo.* Hic oſtendâtur Tyroni Indicatiuus Modus, qui quoniam quinque habet Témpora, éligat Tyro tempus ſuo Polónico .ſ. *Náucze* conuéniens per iſta duo Aduerbia *wczorá* & *iutro*, ſi Verbum cónuenit cum voce *wczorá*, erit Prætériti Temporis ſiue Perféєti, ſiue Imperféєti, parum modò refert. Si cum voce *iutro* concôrdat, erit Futúri. Si autem cum néutra voce conuenit, erit Præſéntis.

| | | |
|---|---|---|
| Cuius Témporis? | *Wczorá.* | V. Prætériti. |
| | *Iutro.* | V. Futúri. |
| | - - - - - | V. Præſéntis. |

Litera V hoc loco ſignificat Verbum Polónicum.

Et quo-

Et quoniam *Náucze* cónuenit cum voce *iutro*, erit Futúri Témporis, oſtendatur ergo Tyroni Futurum Tempus etiam digito. Hoc Tempus habet duos Números, vnde cógitet Tyro, quem débeat ampleƈti, ſi verbo Pólonico póterit áddere has voces, *ieden, iedná, iedno*, erit Númeri Singularis, ſi non, erit Pluralis.

| | | |
|---|---|---|
| Cuius Numeri | *Ieden, iedná, iedno.* | V. Singularis. |
| | *Dwáy, trzey, ábo wiecey.* | V. Pluralis. |

*Náucze* igitur, Númeri Singularis, quia illi ádditur vox *ieden*.ſ. *ia ieden náucze*. Hic rurſus, quia tres ſunt Perſónæ, opus erit eligere Perſónam.

| | | |
|---|---|---|
| Quotæ Perſónæ | *Ia, my.* | V. Primæ. |
| | *Ty, wy.* | V. Secundæ. |
| | *On, oni.* | V. Tertiæ. |

*Náucze* erit Perſónæ Primæ, quia illi vox Pólonica ſ. *Ia* tribúitur; formetur verò Latinè Prima Perſóna Singularis in Futúro .ſ. *Dócebo*, & coniungatur cum illa voce iam ſcripta, nempè cum *Ego*, vt ſit *Ia náucze*, Latinè, *Ego dócebo*. Simili ratione réliqua Exémpla.

Admónitio. *Ab hoc Exercitio primo, non prius erit Tyro dimittendus, quàm ablatæ vocis, quæ ſit Verbi Partis in Indicatiuo Modo ipſe per ſe poßit Tempus Númerum & Perſonam cognoſcere, in libro inuenire & formâre, atq; cum his Nominatiuis:* Ego, tu, ille, nos, vos, illi, *promptè & expeditè copulâre.*

## SECUNDUM EXERCITIUM.

Exercitium Secúndum præſupponit notitiam, primi exercitij & eorum ómnium, quæ præſupponebat primum, & prætérea iſtorum .ſ. *Quot ſint Gradus Comparationis, & vnde formentur? Quid ſit Nomen Subſtantiuum, Adieƈtiuum, Proprium, Appellatiuum, Comparábile, Incomparábile, vnius duarum; & trium terminatiónum? quomodo infleƈtântur Verba Anomala. Ubi ſunt quærendæ Regulæ de Generibus & Caſibus Nominum, de Præteritis & Supinis Verbôrum.*

In hoc autem Secúndo Exercitio tria Púerum opus eſt docêre. Interrogationes & Reſponſiones formâre, voces examinâre, & Regulas Syntáxeos explicâre.

Porrò

Porrò Interrogationes iſtas ſequentes magno vſui Tyronibus Eſſe Futuras inde colligi poteſt: quia ipſis non tantùm oſtendent, quæ voces faciant inter ſe Syntaxim, quæ Dictio alteri Accidentia præſcribat, & ad quas Regulas & quoto Capite ſcriptas ſit recurrendum: verumetiam ſenſum indicabunt, & ad amplificationes Rhetoricas viam tempeſtiuè ſternent. Has formare, priuſquam ad tertium Exercitium, vbi earum eſt maximus vſus, in Secundo iſto Exercitio expedit Tyrones addiſcere, idque in breuiſſimis vnius ſcilicet Regulæ priùs explicatæ vim complectentibus exemplis. v. g. talibus. *Krol pánuie, ludźie chodzą, Oćiec przyiedźie, Bráćia czytáli*, &c. Item. *Ręká ćiepła, ſtoł biały, ołow ćięſki, ławá długa*, &c. Item *Vderzył ręką, ránił ſzáblą, nápiſałem piorkiem*, &c. Exempla verò ea, quæ longiore ductu conſtant. v. g. *Bráćia twoi tego Roku z Krákowá piſáli do Oycá mego do Wárſzáwy*, pro tertio exercitio reſeruentur. Ut autem in tertio exercitio facilior vſus eſſe poſſit Interrogationum iſtarum ſciat Púer. Primò inter illas ferè ſolas voces Syntaxim eſſe in quibus Interrogatio & Reſponſio poteſt formari. v. g. inter iſtas voces *Byłem dniá wczoráyſzego* eſt Syntaxis, quia Interrogatio poteſt formari hæc *Kiedy byłem?* Reſponſio, *Dnia wczoráyſzego* ſupple *byłem* ex quibus aggregatum iſtud conſurgit. *Byłem dniá wczoráyſzego.* Sciat Secundò Interrogationem duabus ferè debere fieri vocibus: ſic quoque Reſponſionem quod ſi fiat duabus, tum inter illas rurſus alia erit formanda Interrogatio & Reſponſio, vt patet in priore exemplo, *Byłem dniá wczoráyſzego.* Sciat tertiò aggregatum ex Intertogatione & Reſponſione niti aliqua Regula Syntaxeos, quæ ſtatim eſt aſſignanda antequam veniatur ad Examen vocum. Sciat quartò, tot fore in Exemplo Regulas Syntaxeos quot erunt Interrogationes, exceptis tamen Generaliſſimis. Sciat vltimò, omnium Interrogarionum ferè primam eſſe iſtam *Kto.*

INTER-

# INTERROGATIONES

Ordine Alphabeti. C. *denotat Caput.* N. *Numerum.* R. *Regulam.*

**Co?**
1. *Małáſke, máluie obrázy, robi pieniadze*, &c.
2. *Drewno płynie, Miáſto gore.* In Nominatiuo Capite 1. Numero 1.

**Coż?**
Hæc Interrogatio oſtendit illam vocem cui adiungitur ab alio vocabulo regi, aut dependere, & continuò quidem illud eſſe inueniendum innuit, vt *ieśli, coż ieśli? ieśli był, ábo mowił, ábo czynił*, &c.

**Czego?**
*Pełen wody, godźien chwały, Vczy ſie Grámmátyki, ſłucha Filozofiey*, &c.

**Czyi?**
1. *Moy, twoy, náß, Krolewſki, Akádemicki, moiá, twoiá, moie, twoie*, &c Cap. 2. Num. 5.
2. *Páwłow dom, Páwłowá Mátká, Páwłowe zálecenie, iego, ich*, &c. in Genitiuo. Cap. 4. Num. 1.
3. *Moiá rzecz mowić, á twoiá ſłuchać*, meum eſt, tuum eſt, &c. Cap. 12. Num. 7.

**Czym?!**
1. *Ręka, ßábla, nożem, kámieniem, wzroſtem* in Ablatiuo. — Cap. 10. N. 2. Reg. 4. Cap. 6. Reg. 1.
2. *Był Krolem, żołnierzem, byłá Mátka, Krolowa.* in Nominatiuo. Cap. 1. Num. 4. R. 1. ✠ in Accuſatiuo ſi Verbum ſit Infinitiui Modi.
3. *Krolem Brátá názwał, Vczynił, Senatorem obrał.* in Accuſatiuo. Cap. 14. Num. 5.
4. *Pociecha, przykłádem, y pożytkiem ludźiom bedźie.* in Datiuo. Cap. 11. Num. 1. Reg. 4.

*Annotátio.* Harum interrogationum *Co? Coż? Czego? Kogoż? Komu?* Regulæ ſunt multæ, quæ in ea partæ Orationis quærantur, cuius Vocabulo præponitur Interrogatio, vt *Komu życzliwy?* in Nomine. *Komu ſłuży? Komu biádá?* in Interiectione; *Náprzećiwko komu?* in Præpoſitione.

Dokąd?

Dokąd? { 1. *Do Krákowá, ná rynek, do Polſki, do Włoch,* Cap: 9. Num: 6.
2. *Tám, ſam, ná gorę.* Aduerbia Cap. 20. N. 3.

Dla czego? *Dla miłości* vel *z miłośći, dla boiáźni, z łáſki Bożey, Krol, &c.* in Ablatiuo ſine Præpoſitione. Cap. 6. Num. 1. Reg. 1. & Cap. 10. Num. 2 Reg. 5. & Num. 4.

Gdźie? { 1. *W Krákowie, w Akádemiey, ná Zamku.* Cap. 9. Num. 3.
2. *Do Polſki, do Szkoły.* Cap. 9. Num. 6.
3. *Tu, tám, nágorze, do gory.* Aduerbia Cap. 19. Num. 1.

Ják dáleko? Cap. 9. Num: 13. & 4.

Ják dawno? Annus eſt vt veni, hora eſt cùm veni, vnus dies eſt poſtquam veni, quartus annus agitur ab eius obitu, &c.

Ják długo? *Przez rok, przez noc.* in Accuſatiuo, áddita vel omiſſa Præpoſitiône *Per*, vel in Ablatiuo ſine Præpoſitione. Cap. 10. Num. 2 R. 2. & Num. 4. R. 2.

Ják drogo? *Zá złoty, zá groſz,* &c. in Ablatiuo ſine Præpoſitione Cap. 10. Num. 2. R. 7. & ℣. 5, 6. 7.

Ják prędko? { 1. *Zá godźinę záiádę*, intra vnam horam, vel vna hora. Cap. 10. Num. 3.
2. *Zá godźinę poiádę,* poſt vnam horam.

Ják wiele? *Pięć, śiedm, ośm,* &c. Cap. 2. Num. 1.

Jáki? { 1. *Pilny, vczony, biały,* Cap 2. Num 1.
2 *Dowćipu byſtrego, vrody piękney, wzroſtu miernego.* in Genitiuo vel Ablatiuo. Cap. 4. Num. 3.

Jáko? { 1. *Dobrym ſercem vczynił, z żalem mowił, &c.* in Ablatiuo iuxta Polónicum. Cap. 10. Num. 2. &. 4.
2. *Dobrze, źle, pięknie, &c.* Aduerbia. Cap. 19. Num. 1.
3. *Niedbálcem go názwał.* Cap. 14. Num 3.

Kedy ? { 1. *W Krákowie ná Kleparzu.* Cap. 9. Num 3.
2. *Do Włoch, ná Káźimierz,* &c. Cap. 9. Num. 6. }

Kiedy ? { 1. *Tego roku, w tę godźinę.* &c. in Ablatiuo. Cap. 10. Num. 2. R. 1. & Num. 4 R. 1.
2. *Wczorá, iutro,* &c Aduerbia Cap. 19. Num. 1.
3. *Zá Królá Iágełłá.* Regnante Iagellone in Ablatiuo ſine Præpoſitione. Cap. 10. Num. 1. }

Kogo ? *Znam Królá, zálećiłem brátá,* &c.

Komu ? *Zyczliwy Oycu, ſłuży brátu,* &c.

Kto vel Ktož ? { 1. *Brát czytá, ia byłem,* &c. in Nominativo Cap. 1. Num. 1. ✠ Sed ſi eſt iž vel že. in Accuſatiuo. Cap. 16. Reg 3.
2. *Vczony? Vczony człowiek.* Cap. 2. Num. 1. }

Ktoredy ? { 1. *Przez Kráków.* Cap 9 Num. 9.
2. *Tedy, támtędy.* &c. Aduerbia. Cap. 19 Num. 1. }

Ktory ? *Ten, wczoráyſzy, biały.* &c. Cap. 2. Num. 1.

Po wielu ? *Po piaciu, po ośmiu, po ſtu,* &c. Cap. 2. Num. 1.

Siłá ? *Ośm, dwánaśćie, ſto.* &c. Cap. 2. Num. 1.

w ktorą ſtronę ? { 1. *Ku Krákowu.* Cracoviam verſus.
2. *Wzad, wprawą.* }

Wiele ? *Sto, tyśiąc, ieden.* &c. Cap. 10. Num. 2.

Zá co ? *Zá groſz, zá pieniądze.* in Ablatiuo ſine Præpoſitione. Cap. 10. Num. 2.

Zá wiele ? *Zá ośm, zá ſto.* &c. Cap. 2. Num. 1.

Z czego ? *Z drzewá, z kámienia.* &c. in Ablatiuo additâ vel omiſsâ Præpoſitione *Ex* Cap. 10. Num. 2.

Zkąd ? { 1. *Z Krákowá, z Turek.* Cap. 9. Num. 1.
2. *Z gory, z tyłu.* &c. Cap. 19. Num. 1. }

Annotatio. *Interrogationum Declinabilium Genus, Numerus & Caſus mutetur vbi opus erit: Ipſæ autem Interrogationes ſi ſunt Indeclinabiles, ſuæ Partis ſequuntur Regulas; Declinabiles verò per eam Regulam efferuntur, quam oſtendunt.*

## EXAMEN VOCVM.

*Inde Puer addiſcet quâ ratione & quo ordine per Accidentia Partium Orationis ſit examinanda ea vox, quæ eſt in Compoſitione ſcribenda.*

1. Thema Polonicum? 2. Quomodo Latinè? 3. Qualis vox? 4. Cuius Partis?

*Nominis.*
- Subſtantiuum.
  - 1. Declinationis?
  - 2. Generis? *Regula Etymologiæ.*
  - 3. Genitiuum? *Regula Etymologiæ.*
  - 4 Numeri? *Ex Polonico cognoſces.*
  - 5. Caſus? *Regulam Syntaxeos commemora.*
  - 6. Formes Gaſum? *Viſa Reg: Etymologiæ.*
- Adiectiuum.
  - 1. Comparabile? { Poſitiuus, Comparatiuus, Superlatiuus. } { 1. *Ex Polonico. cognoſces.* 2. *Formes Viſa Reg. Etym.* }
    Incomparabile?
  - 2. Quot Terminationum?
  - 3. Declinationis ſub quauis Terminatio:
  - 4. Generis.
  - 5. Numeri.
  - 6. Caſus. } *Ex Subſtantiuo cognoſces.*
  - 7. Formes Caſum? *Viſa Regula Etym.*

Annot: *Examen Nominis conuenit etiam Pronomini & Participio.*

*Verbi.*
- 1. Quale?
- 2. Coniugationis?
- 3 Generis?
- 4. Præteritum & Supinum? *Regula Etymologiæ.*
- 5. Modi?
- 6. Temporis?
- 7 Numeri?
- 8. Perſonæ?
- 9. Formes. } *Ex Nominatiuo.*

*Aduerbij.* Quid præſcribit an Caſum, an Modum, an Tempus, an Gradum Comparationis?

*Coniunctionis.* Cuius Ordinis & quem regit Modum?

*Præpoſitionis.* Quem regit Caſum?

*Interiectionis,* Cum quo Caſu conſtruitur?

EXEM-

## Exempla.

| | |
|---|---|
| *Bráćia piſáli,* | *Dźieći czytáią.* |
| *Ludźie chodzą,* | *Chłopi robią.* |
| *Oćiec przyiedźie,* | *Málárze wymáluią, &c.* |

Horum Exemplôrum primum .ſ. iſtud *Bráćia piſáli,* ſic erit ſcribendum. Primò formetur Interrogatio & Reſponſio: vt Interrogatio *Kto*, ſcribitur iuxta primi Capitis Regulam primam .ſ. iſtam. *Verbum Finiti Modi cum Vno Nominatiuo aperto Vel occulto, &c.* Deinde examinetur vox iſta *Bráćia* ſic: *Bráćia* Thema *Brát. Brát* Latinè *Frater. Frater* eſt vox flexibilis, eſt Nominis Partis, eſt Nomen Subſtantiuum, Declinationis Tertiæ, Generis Maſculini, per hanc Regulam: *Maſculini Generis eſt Nomen ſignificans Virum.* Genitiuum habet *Fratris*, per Regulam iſtam: Maſculina iſta *Pater, Frater, &c.* habent in Genitiuo *tris.* Numeri debet eſſe Pluralis, Caſus Nominatiui, qui Latinè formatus erit hic, *Fratres* iuxta Regulam hanc. *Nominatiuus, Accuſatiuus & Vocatiuus Pluralis Tertiæ Declinationis, Nominis alterius à Neutro exit in Es.* hunc formatum ſcribas in charta. Poſtea ad alteram Polonicam vocem .ſ. iſtam *Piſáli* accedas. Huius autem vocis quoniam Nota iam eſt Interrogatio & Reſponſio: proinde ſtatim ipſam ſic examina *Piſáli* Thema *Piſzę, Piſzę* Latinè *Scribo. Scribo* eſt vox flexibilis, & Verbi Partis, Verbum eſt Perſonale Analogum, Tranſitiuum, Adiectiuum, Coniugationis Tertiæ, Generis Actiui, Præteritum habet *Scripſi,* Supinum *Scriptum,* per Regulam iſtam. *Scribo, ſcripſi, ſcriptum,* cum Compoſitis eſt Actiuum. Modi debet eſſe Indicatiui, Temporis Præteriti, Numeri Pluralis, Perſonæ Tertiæ, quam ſic formabis: *Ego ſcripſi, tu ſcripſiſti, ille ſcripſit. Nos ſcripſimus, Vos ſcripſiſtis, illi ſcripſerunt* vel *ſcripſere.* Tertia ergo Perſona Pluralis ponenda in charta erit *ſcripſerunt.* & ſic primum Exemplum .ſ. *Bráćia piſáli,* Latinè efferetur, *Fratres ſcripſerunt.*

Simili modo cætera Exempla perficies.

# TERTIVM EXERCITIVM.

In hoc Exercitio, quod ex duobus prioribus coaleſcit, & illa præſupponit addiſcet Puer longiores Periodos iuxta Regulas componere, & noſſe quæ voces inter ſe faciant Syntaxin, & per quas Regulas ſint ſcribendæ, v. g. hæc.

*Bráćia twoi tego Roku piſáli z Krákowá do Wárßáwy.*

Hanc periodum in qua ſex Regulæ Syntaxeos concurrunt, quas per Interrogationes inueſtigabilis, ſi componas. Primò inuenias Verbum Finiti Modi .ſ. *Piſáli.* & Nominatiuum eius .ſ. *Bráćia.* Vbi autem hæc duo iuxta primam Capitis primi Regulam prout in ſecundo Exercitio declarauimus, compoſueris & Latina feceris ſic. *Fratres ſcripſerunt;* tum ad reliquas voces componendas accedes, & quamlibet per iſtos Terminos duces. 1. Adde. 2. Conſidera. 3 Interroga & Reſponde. 4. Diſtingue. 5. Regulam vide. 6. Examina.

Adde. *to ieſt, do tego ſłowká ktore iuż nápiſał po łáćinie, przyday ſłowko Polſkie iedno ábo dwie ktore ſą w Kompoſicyey.*

Conſidera. *to ieſt, Uważ ieśli ieſt Polßczyzná dobra ábo* Syntaxis *Polſka po przydániu tego słowá.*

Interroga & Reſponde. *to ieſt, Uczyń* Interrogationem & Reſponſionem, *á wiedz to, że* Interrogatio *ma mieć w ſobie ſłowko to, ktore iuż po łáćinie nápiſał, á* Reſponſio *záś to, ktore przydał, y to ktore nápiſał po łáćinie.*

Diſtingue *to ieſt, pokaż* quæ vox regit, & quæ regitur, *á wiedz że ſłowko nápiſáne* regit, *á przydáne* regitur.

Regulam vide. *to ieſt, znaydźi ſobie Regułę w Syntaxim, według ktorey to przydáne ſłowko trzebá będźie piſáć, á do Reguły doprowádzá ćię* Interrogationes.

Examina. *to ieſt, Uday ſię z tym ſłowkiem Polſkim przydánym do* Examen *tákie maß* in ſecundo Exercitio .ſ. Thema Polonicum? Quomodo Latinè? Qualis vox? Cuius Partis, &c.

Iſtius

Iſtius ergo Periodi, *Bráćia twoi tego roku piſáli z Krákowá do Wárßáwy.* reliquæ voces ſic erunt per dictos terminos ducendæ.

1. *Bráćia twoi.*

2. Eſt bona Syntaxis Polonica. 3. Interrogatio, *Czyi bráćia?* Reſponſio, *Twoi bráćia.* 4. *Bráćia* regit, *twoi,* regitur. 5. Regula Adiectiuum cum vno Subſtantiuo aperto vel occulto, &c. 6. *Twoi* Thema *Twoy,* Latinè *Tuus,* eſt vox flexibilis Pronominis Partis. eſt Adiectiuum Incomparabile, trium terminationum, ſub Prima Secundæ, ſub Secunda Primæ, ſub Tertia Secundæ Declinationis, Generis debet eſſe Maſculini, Numeri Pluralis, Caſus Nominatiui, quia Subſtantiuum eius .ſ. *Fratres* eſt etiam Genenetis Maſculini, Numeri Pluralis, Caſus Nominatiui, qui Latinè formatus erit hic *Tui,* iuxta hanc Regulam, Etymologiæ, Secunda Declinatio format Pluralem Nominatiuum & Vocatiuum per *I,* & ſic *Bráćia twoi,* Latinè efferes, *Fratres, tui.*

1. *Piſáli z Krákowá.*

2. Eſt bona Syntaxis. 3. Interrogatio. *Zkąd piſáli,* Reſponſio. *piſáli z Krákowá.* 4. *piſáli* regit, *z Krákowá* regitur. 5. Regula Cap. 9. Prima .ſ. Ex loco motum, &c. 6. *z Krákowá* Thema *Kráków.* Latinè *Cracouia.* Eſt vox flexibilis Nominis Partis, eſt Subſtantiuum, &c. *piſáli z Krákowá,* Latinè, *Scripſerunt Cracouiâ.*

1. *Piſáli do Wárßáwy.*

2. Eſt bona Syntaxis, 3. Interrogatio, *Do kąd piſáli?* Reſponſio, *piſáli do Wárßáwy.* 4. *piſáli* regit, *do Wárßáwy* regitur. 5. Regula Cap. 9. Sexta ſ. Ad locum motum Verba, &c. 6. *Do Wárßáwy.* Thema *Wárßáwá,* Latinè *Varſauia,* eſt vox flexibilis Nominis Partis, &c. *piſáli do Wárßáwy,* Latinè, *Scripſerunt Varſauiam.*

1. *Piſáli roku tego.*

2. Eſt bona Syntaxis 3. Interrogatio, *Kiedy piſáli?* Reſponſio, *piſáli roku tego.* 4. *pisáli* regit, *roku tego* regitur. 5 Regula Secunda Cap. 10. .ſ. Omne Verbum admittit Ablatiuum, &c. 6. *Roku* Thema *Rok,* Latinè *annus,* eſt vox flexibilis Nominis Partis, &c. *piſáli roku tego,* Latinè, *Scripſerunt anno iſto.*

1. *Roku tego.*

2. Eſt bona Syntaxis 3. Interrogatio ? *Ktorego roku ?* Reſponſio. *Roku tego.* 4. *Roku* regit, *tego* regitur. 5. Regula Prima Cap. 2. .ſ. Adiectiuum cum vno Subſtantiuo, &c. 6. *Tego* Thema *Ten*, Latinè *Iſte*, eſt vox flexibilis, Pronominis Partis, &c. *Roku tego.* Latinè *Anno iſto.*

Admonitio. *Hoc Exercitium in charta ſic deſcribatur.*

| | |
|---|---|
| *Fratres ſcripſerunt.* | Verbum Finiti Modi, *&c.* Cap. 1. Reg. 1. |
| *Fratres tui.* | Adiectiuum cum vno, *&c.* Cap. 2. |
| *Scripſerunt Cracouiam.* | Ex loco motum, *&c.* Cap. 9. |
| *Scripſerunt Varſauiam.* | Ad locum motum, *&c.* Cap. 9. Reg. 6. |
| *Scripſerunt Anno iſto.* | Omne Verbum admittit. Cap. 10. R. 2. |
| *Anno iſto.* | Adiectiuũ cũ vno Subſtantiuo. C. 2. R. 1. |

*Hoc modo quamlibet aliam Periodum multis vocibus conſtantem Tyro elimauit, iactis autem benè iſtis fundamentis, omnia ſibi peruia certo certius ſperet eſſe futura.*

*Hæc nos dixiſſe de primis tribus Tyronum Exercitijs ſufficiat, in quibus ſi Nobiliſsima Academia iuuentus ſeſe à teneris diligentiſsimè exercuerit bonâ fide ſuam Compoſitionem & Latinam, & emendatam breui fore pollicemur: hac enim ratione ea Præcepta, quæ in dies audit, ad vſum & praxim reuocare: à vocabulis temerè, & ſine eorum prævio examine cumulandis abſtinere; vocum à ſe poſitarum omniũ dextrè & promptè rationem reddere, ad Regulas recurrere & eaſdem conſulere; atq; ſecundùm artis Præcepta in ſcribendo ſeſe dirigere, ab ipſis ſtatim primordijs feliciter incipiet, & feliciſsimè cum ſuo maximo emolumento condiſcet. Operoſum quidem, & tardius perficiendum; ſed apprimè eſt vtile futurum eiuſmodi in componendo Exercitium: Nam vna Periodus vel vnum exemplum hoc modo ſcriptũ maiorem vtilitatem eſt allaturum: quam mille temerè in chartam congeſtæ Verſiones. Mora & tarditas atq; difficultas fruſtra obijcitur: nam omne principium graue, quanquam ſi ordo dictorum ſeruetur, & Materia Polonica fuerit Simplex, facilis & breuis, qualem omnino requirimus, nihil horum quæ obijciuntur vexabit Tyronem; immò ei omnia in mentem ſemper poſtea redibunt & vltro ſeſe offerent; non aliter, quam literæ & ſyllabæ legentibus, quæ cum difficultate & tardè nimis efferebantur.*

QVAR-

# QVARTUM EXERCITIUM.

Hic Puer in difficilioribus modis loquendi iam ſeſe diligenter exerceat, Phraſibus ſuam Compoſitionem exornet, linguæ Latinæ proprietatem affectet, & relicta Verborum ſimplicitáte ſenſum tantùm ipſum lectiſſimis verbis exprimere conetur, circuitiones illas per Participium, Gerundium, Supinum, & Infinitiuum modum optimè nôrit, item Amphibólogiam vitare, Orationem variare, vocem Actiuam in Paſſiuam promptè mutare, Reciproca conſtruere, Participium Actiuæ à Paſſiuæ vocis diſcernere, Polonicè exprimere, & cum Verbo *Sum* copulare addiſcat, omnia denique Præcepta Grammaticæ ita cognoſcat, vt nulla Regula detur, cuius ipſe explicationem & vſum ignorare videatur. Titulos quoque ſeu Epithêta hominibus pro diuerſitate conditionis alia atque alia tam in abſtracto, quàm in concreto tribuere ſciat: vt *Beatiſsime Pontifex*, *Inuictiſsima Imperator*, *Sereniſsime Rex*, *&c. Sanctitas Tua*, *Sacra Regia Maieſtas Tua*, *&c.*

Legens, *ten ktory czyta*, vel *czytáiący*.

Lecturus, *ten ktory ma czytáć*: Ego ſum lecturus, *ia mam czytáć*. Ego eram lecturus, *ia miałem czytáć*.

Lectus, *ten ktorego czytano*, vel *czytány*. Ego ſum lectus, *mnie czytano*. Per hoc Participium vitari debet Tertia Perſona Pluralis Pueris vſitata. *v. g.* acceperunt mihi librum, *pro* acceptus eſt mihi liber, *wzięto mi kśiąſkę*, *&c.*

Legendus, *ten ktorego máią czytáć*. Ego ſum legendus, *mnie máią czytáć*. Ego eram legendus, *mnie miano czytáć*.

Annotatio. *In his vocem Actiuam Nominatiuus, Paſsiuam verò Accuſatiuus vernaculæ oſtendit: hác ratione aliorum Verborum Participia ſunt exponenda, & cum Verbo* Sum *coniungenda, quomodo autem Futurum Infinitiui Modi ſuppleatur.* vide lib. 2. Pag. 366.

Vox deſinens in *(a)* plerunque effertur per Gerundium in *Do,* vel per Participij Præſens, quod in Genere, Numero, & Caſu, concordabit cum Nominatiuo proximi Verbi, aut per Subiunctiuum addito *Cum, quum*, ſi cuius Tempus, Numerus, & Perſona à Proximo Verbo ſumetur.

Vox deſinens in *(ßy)* dupliciter effertur. Primò per circuitionem factam ex Verbo & Particula harum aliqua, *Poſtquam Vbi, Vbi primum, cum, Vt, ſimulac, ſimulatq;, &c.* Erit autem Verbum Subiunctiui, aut Indicatiui Modi, Temporis, Numeri & Perſonæ eiuſdem cum Verbo proximo Finiti Modi, vt *Nápiſawßy*, id eſt, *Skoro nápiße, przyide.* Poſtquam ſcripſero, veniam. *Item.* vbi veni, ſcripſi, vbi primum videro, credam.

Secundò per Participij Præteritum in Caſu pro diuerſitate Verbi alio atque alio ſcilicet Ablatiuo aut Nominatiuo poſitum.

In Ablatiuo cùm venit à Verbo Paſſiui Generis, vt *Ránìwßy brátá Vćiekł. Vulnerato fratre fugit.* ſic *audito Sacro Venit. ſcriptis literis abijt. &c.* vide Ablatiuum Abſolutum in Syntaxi Cap. 10. Sed ſi vox in *(ßy)* reciprocet Nominatiuum Verbi proximi, tum in Nominatiuo ponitur, vt *Puer à ſeipſo percuſſus flebat, &c.*

In Nominatiuo cùm venit à Verbo Generis Deponentis, vel Neutropaſſiui, vt *Peccata confeſſus obijt, Adeptus dignitatem diſceßit, &c. Pranſus Veniam ad te, &c.* Hic Nominatiuus ſi mutetur Verbum proximum in Infinitum, debet mutari in Accuſatiuum, vt *Scio fratrem peccata confeſſum obijſſe.*

*Infinitiuus, Supinum, Participium, Gerundia & Subiunctiuus, ſæpè eundem exprimunt ſenſum. Vt* Veni ſcribere literas. 2. Veni ſcriptum literas. 3. Veni ſcripturus literas. 4. Veni ad ſcribendum literas. 5. Veni ad ſcribendas literas. 6. Veni gratiâ *Vel* causâ ſcribendi literas. 7. Veni gratiâ *Vel* causâ ſcribendarum literarum. 8. Veni vt ſcribam literas.

ORTHO-

# ORTHOGRAPHIA LATINA.

## Capvt Primvm.

ORthographia eſt Pars Grammaticæ, quæ literas, Sillabas, voces & Notas Orthographicas docet rectè ſcribere; id eſt, *quæ docet in ſcribendo nihil mutare, nihil addere, nihil omittere, nihil coniungere, & nihil diuidere.*

Literæ ratione characteris ſunt duplices. { *Maiores.* A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z. *Minores.* a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, r, ſ, t, u, x, y, z.

Admonitio. *Harum veram ac genuinam prolationem viua voce Præceptor docebit.*

- 1. Nomina Primæ Declinationis iſta: *Vna, alia, altera, ſola, tota, vlla, nulla, vtra, vtraque, &c. formant Genitiuum per* Ius *& Datiuum per* I, *vt vna vnius vni. ( olim verò per æ, formabant, vt huius vnæ, huic vnæ.)*
- 2. Nomina Primæ in *E.* habent in Genitiuo *Es,* in Accuſatiuo *En,* in reliquis Caſibus *E,* vt *Ode, odes, oden.* In Plurali verò declinantur ſicut alia Latina, *Odæ, odarum, odis, &c.*
- 3. Nomina Primæ Genitiuum Singularem olim formabant per *As,* vel *Ai,* vt *Maias, vias, familias, aulai, pictai,* pro *Maiæ, aulæ.*

4. Accuſatiuus Singularis Primæ Nominum
- Latinorum deſinit in *Am,* vt *hanc Viam.*
- Græcorum in *As,* vel *A,* Propriorum exit in *Am,* vel *An,* vt *Æneam,* vel *an.*
- Græcorum in *Es,* vel *E,* deſinit in *En,* vel *Am,* vt *Anchiſen,* vel *am. Oden* vel *odam.*

5. Vocatiuum & Ablatiuum Singularem Primæ Nomina
- 1. *As* & *A,* finita terminant in *A,* vt *ô Ænea, ab hoc Ænea, ô Via, ab hac via.*
- 2. *Es* & *E* finita faciunt in *E* vel *A,* vt *ô Anchiſe* vel *a, ab hoc Anchiſe* vel *a, ô Ode* vel *Oda, ab hac Ode* vel *Oda.*

Obſer-

Obſeruatio. *Accuſatiuus in* Am, *Vocatiuus & Ablatiuus in* A. *Nominum in* Es & E *non ab his Nominatiuis fit, verùm à Nominatiuo in* A: *Dictum enim eſt aliquando* Anchiſa, *pro* Anchiſes, vt Atrida *pro* Atrides. *Sic* Odam & oda *venit à Nominatiuo Latino* Oda, *non verò ab* ode, & *ſic de cæteris.*

## De Numero Plurali.

Prima Declinatio format Pluralem.
1. Nominatiuum & Vocatiuum per Æ diphtongum, vt *Hæ Viæ, ô Viæ.*
2. Genitiuum in *Arum*, vt *Viarum.*
3. Datiuum & Ablatiuum in *Is*, vt *Vijs.*
4. Accuſatiuum per *As*, vt *Vias.*

## Exceptio.

Hæc Nomina: *Dea, filia, nata, liberta, equa, mula, ambæ, duæ,* Pluralem Datiuum & Ablatiuum formant per *Abus*, vt *Deabus, filiabus.* (olim per *Is*, vt *Deis, filijs.*)

## De Deficientibus Numero.

Nomina Feminina Primæ Declinationis carentia Numero
- Singulari ſunt iſta: *Antiæ, balneæ, clitellæ, cunæ, deliciæ, diuitiæ, Diræ. Epulæ, excubiæ, exequiæ, exuuiæ, facetiæ, feriæ, gerræ, induciæ, inferiæ, inſidiæ, Calendæ, nonæ, Literæ, Manubiæ, minæ, nugæ, nundinæ, nuptiæ, offuciæ, phaleræ, plagæ, primitiæ, quiſquiliæ, reliquiæ, ſcapulæ, ſcopæ, tenebræ, thermæ, Tricæ, valuæ,* & locorum propria, vt *Athenæ, Venetiæ, Thebæ,* &c. Item Adiectiua: *Ambæ, duæ, ducentæ, trecentæ, quadringentæ, quingentæ,* &c. in entæ.
- Plurali ſunt iſta: *Adoleſcentia, Galla, fuga, infantia, ſegnitia, pigritia,* &c.

# CAPVT VI.

## De Secunda Declinatione.

1. Nominatiuus Singularis Secundæ Declinationis definit in *Er, Ir, Vr, Vs, Eus, Vm, Vd*: vt *Puer, vir, ſatur, Dominus, Tydeus, ſcamnum, aliud.*

2. Nomina Secundæ Declinationis deſinentia in
   1. *Er, Ir, Vr, Vs, Eus,* ſunt Maſculina, vt *Puer, Vir, ſatur, Dominus, Tydeus, Oleaſter.*
   2. *Vm,* Appellatiua ſunt Neutra, vt *Scamnum, Templum,* & Græca etiam, vt *Scholion,* vel *um, ſcholij, enchiridion,* vel *um, enchiridij, &c.*

### EXCEPTIO.

1. Feminina ſunt *Aluus, abyſſus, arctus, amethyſtus, antidotus, balanus, biblus, byſſus, carbaſus, colus, cryſtallus, Dialectus, diametrus, domus, diphthongus, exhodus, eremus; ficus, hyſſopus, humus, methodus, papyrus, periodus, pyropus, ſapphirus, ſynodus, vannus.*
2. Neutra ſunt, *Vulgus* & *pelagus*, ſingularia tantùm; item *Virus* ſingulare indeclinabile.
3. Dubia ſunt, *Athomus, barbitus, beryllus, cythiſus, groſſus, pampinus, phaſellus, rubus, ſmaragdus.*

Obſeruatio. *Nomina Vrbium, Regionum, Inſularum, & Arborum in* Vs; *item propria in* Vm, *per Regulas Generales debent cognoſci, cuius ſint Generis.*

3. Genitiuus Singularis Secundæ Declinationis deſinit in *I*, & tot ſyllabas habet, quot ſunt in Nominatiuo, vt *Dominus domini, Scamnum ſcamni,* (olim exibat in *Vs*, vt *huius Lectus, huius locus,* pro *huius loci.*)

EXCE-

## Exceptiones.

1. Hæc Nomina : *Vllus, vnus, ſolus, totus, alter, alius, vter, neuter, vterq;, alteruter, &c.* in quouis Genere Genitiuum habent in *Ius*, & Datiuum in *I*, vt *Vllius vlli, alius alij.* ( hæc olim in Genitiuo *I*, in Datiuo *O* habebant.)

1. Vna ſyllaba ſuperant in Genitiuo Nominatiuũ Nomina.
   1. Deſinentia in *Vr, ir, eus*, vt *Satur ſaturi, Vir viri, Tydeus Tydei.*
   2. Iſta omnia : *Aſper, proſper, puer, tener, miſer, gibber, lacer, ſocer, gener, adulter, liber, dexter, presbyter.*
   3. Compoſita in *Ger*, & *Fer* deſinentia, vt *Clauiger, clauigeri, lucifer luciferi.*

4. Secunda Declinatio format Singularem.
   1. Datiuum & Ablatiuum per O, vt *Puero.*
   2. Accuſatiuum per *Vm*, vt *Puerum.*

## Observationes.

1. Deſinentia in *Eus*, Accuſatiuum formant & per *Vm*, & per *A*, vt *hunc Orpheum* vel *Orphea.*
2. Græca In *Os*, Latina in *Vs*, mutant *S* in *N* in Accuſatiuo, vt *Pergamos* vel *us*, *Pergamon, arctos* vel *arctus, arcton, Delos* vel *us, Delon, &c.*

Vocatiuus Singularis Secundæ Declinationis Nominum in
1. *Er, Ir, Vr, Vm,* ſimilis eſt Nominatiuo, vt *ô Puer, vir, ſatur, ſcamnum.*
2. *Vs*, mutat *Vs* in *E*, vt *ô ſerue bone.*
3. *Eus*, abijcit *S* in fine, vt *ô Tydeu.*
4. *Ius*, propriorum, abijcit *Vs*, in fine, vt *ô Virgili, Gregori, Cai.*
5. *Ius* Appellatiuorum & Adiectiuorum mutat *Vs* in *E*, vt *ô Tabellarie, egregie.*

Exceptio. *ô Deus* non *Dee*, *ô fili* non *filie*, fac Vocatiuum.

De Nũ-

## De Numero Plurali.

Secunda Declinatio format Pluralem
1. Nominatiuum & Vocatiuum per *I*, vt *Pueri*.
2. Genitiuo in *Orum*, vt *Puerorum*.
3. Datiuum & Ablatiuum per *Is*, vt *Pueris*.
4. Accuſatiuum per *Os*, vt *Pueros*.

## EXCEPTIO.

Neutra Secundæ Declinationis, Nominatiuum, Accuſatiuum, & Vocatiuum Pluralem formant per *A*, vt *Scamna*, præter *ambo* & *duo*.

## De Deficientibus Numero.

1. Singulari carent Maſculina Secundæ iſta: *Cani*, *cancelli*, *faſti*, *gemini*, *inferi*, *liberi*, *poſteri*, *ſuperi*, & locorum Propria, vt *Gabij*, *Locri*, *Delphi*, *Pariſij*, &c.

2. Neútra Secundæ Singulari carent iſta: *Arma*, *bellaria*, *crepundia*, *comitia*, *caſtra*, *cibaria*, *exta*, *æſtiua*, *hiberna*, *hibernalia*, *ſtatiua*, *cunabula*, *incunabula*, *iuſta*, *munia*, *obliuia*, *Orgia*, *Olympia*, *præcordia*, *paraphernalia*, *repotia*, *ſponſalia*, *ſcenopegia*, *teſqua*, *ſerta*, *Verenda*, *Cytera*, *Bactra*, *Ceraunia*, & librorum tituli, vt *Biblia*, *Georgica*, *Buccolica*, *Rhethorica*, *Phyſica*, &c.

1. Maſculina Secundæ Plurali carent iſta: *Fimus*, *Heſperus*, *Limus*, *Viſcus*, *Veſper*.

2. Feminina Secundæ Plurali carent iſta: *Aluus*, *carbaſus*, *tubus*.

3. Neutra Secundæ Plurali carent iſta: *Cænum*, *ſalum*, *penum*, *nihilum*, *ſenium*, *lethum*, *barathrum*, *Viſcum*, *glutinum*, *iuſtitium*, *pelagus*, *Vulgus*, *Virus*.

CAPVT

# CAPVT VII.

## De Tertia Declinatione.

Tertiæ Declinationis Singularis Nominatiuus variè finitur. Genitiuus verò Latinus in *Is*, & Græcus in *Os*.

### *A.*

Nomina Tertiæ Declinationis in *A*, ſunt Neutra, & habent in Genitiuo *Atis*, vt *Comma commatis*. Sic *dogma*, *Poëma*, *pneuma*, *Zeugma*, *aroma*, *thema*, *&c.*

Adiectiua in *Ginta*, vt *Triginta*, *quadraginta*, *quinquaginta*, *ſexaginta*, *ſeptuaginta*, *octaginta*, *nonaginta*, ſunt Generis Omnis Pluralia & indeclinabilia.

### *E.*

Nomina Tertiæ Declinationis in *E*, ſunt Neutra, & mutant in Genitiui *E* in *Is*, vt *Cubile*, *cubilis*.

*Cepe*, *gauſape*, *præſepe*, *ſoracte*, cum his Pluralibus, *Cete*, *tempe*, ſunt Neutra indeclinabilia.

Adiectiua, *Quinque* & *Mille*, ſunt Pluralia indeclinabilia Generis Omnis.

*Hæc vox* Mille, *addito Adiectiuo fit Subſtantiuum*, *vt* Vnum mille, *eſtque ſic Neutrum*, *in Singulari tamen eſt indeclinabile*, *in Plurali verò per Tertiam Declinationem habet omnes Caſus*, *vt* hæc Millia, millium, millibus.

### *I, & Y.*

Neutra ſunt Nomina:
1. In *I*, & indeclinabilia, vt *Gummi*, *ſinapi*.
2. In *Y*, & *yos*, Græcè, *yis*, verò Latinè faciunt in Genitiuo, vt *Moly*, *molyos* vel *molyis*.

*Viginti* Plurale tantùm, Generis Omnis, indeclinabile.

Do &

## *Do & Go.*

Nomina in *Do & Go* ſunt Feminina, & habent in Genitiuo *Inis*, vt *Albedo albedinis*, ſic *dulcedo, imago, virgo, alcedo, cupido, formido, nigredo, &c.*

1. *Cardo, Cupido, margo,* habent in Genitiuo *Inis*; ſed ſunt Maſculina.
2. *Vnedo, vnedonis,* eſt Femininum.
3. Maſculina, *Spado, cudo, vdo, burdo, mango, ligo, harpago, Macedo, prædo, comedo, cerdo,* habent in Genitiuo *onis*.
4. *Pondo* indeclinabile pro *pondere*, eſt Neutrum Singulare, adiungiturq; Nomini *Libra*, vt *Libræ pondo*: at pro *Libra*, eſt utriuſq; Numeri, vt *Vnius pondo, centum pondo.*

## *O.*

Nomina in O qualecunque, ſunt Maſculina, & habent in Genitiuo *Onis*, vt *Pugio pugionis.* ſic *Scipio, titio, tyro, latro, vnio* margarita, *binio, ternio. &c.*

1. Verbalia in *Io*, habent etiam *Onis*, ſed ſunt Feminina, vt *Lectio lectionis*; ſic *Ratio, natio, motio, generatio, &c.*
2. *Legio, regio, communio, portio, rebellio, ditio, talio,* habent etiam *Onis*, ſed ſunt Feminina.
3. *Homo hominis, Apollo Apollinis, turbo turbinis, Anio, Anionis,* ſunt Maſculina.
4. *Caro carnis, Nerio Nerionis,* ſunt Feminina.
5. *Nemo neminis,* eſt Commune. *Bubo onis*, Dubium.
6. *Octo,* eſt Plurale, Generis Omnis, indeclinabile.

7. *Dido,*

7. *Dido, Alecto, Echo, Clio, Caliipſo, Erato, Mantho, Clotho*, & alia propria Græca in O, Feminina dupliciter declinântur. Græcè ſic. *hæc Dido, huius Didus, huic, hunc, ô, ab hac Dido.* Latinè, *Dido, onis, oni, onem, Dido, one.* ( Phocas antiquus Grammaticus ſic iubet declinâre: *Dido, Didois, Didoi, Didoem, Dido, à Didoe.*

## *C, D, T.*

1. Nomina in C & T, ſunt Neutra, vt *Lac, lactis*, Singulare tantùm, item *Caput capitis, occiput occipitis, ſinciput ſincipitis.*

2. Propria in *D*, ſunt Maſculina, & aſſumunt *Is*, in Genitiuo, vt *Dauid Dauidis, Bogud, Bogudis*, alij volunt eſſe indeclinabilia.

1. *Tot, quot, aliquot, quotquot*, ſunt Generis Omnis indeclinabilia, & Pluralia tantùm.
2. *Halec halecis*, eſt Dubium *Melhiſedec ecis*, eſt Maſculinum, alij indeclinabile eſſe volunt.
3. *Sabaoth*, eſt Femininum, Plurâle, indeclinabile.

## *AL.*

1. Nomina in *AL*.
   1. Appellatiua ſunt Neutra, & habent in Genitiuo *Alis*, vt *Animal animalis, tribunal, alis, vectigal, alis.*
   2. Propria ſunt Maſculina, & habent in Genitiuo *Alis*, vt *Hannibal alis*, ſic *Aſtrubal alis, Aterbal alis.*

*Sal ſalis*, ſæpius Maſculinum, quàm Neutrum, & pro *ioco* ſemper Maſculinum.

Nomina in *EL*.
1. Appellatiua ſunt Neutra, & aſſumunt in Genitiuo *Lis*, vt *Fel fellis, mel mellis.*
2. Propria ſunt Maſculina, & habent in Genitiuo *Elis*, vt *Michaël elis, Gabriël elis.*

IL.

## IL, OL, VL.

1. Maſculina, *Mugil, pugil, vigil* habent *ilis*; ſed *vigil* & *perui-gil*, Adiectiua ſunt Generis Omnis.
2. *Tanaquil tanaquilis*, eſt Femininum.
3. *Nil* & *nihil*, ſunt Neutra indeclinabilia.
4. *Sol ſolis, conſul conſulis, proconſul proconſulis, præſul præſulis, exul exulis*, ſunt Maſculina.

## AM, EM, IM, VM.

1. *Nequam*, Adiectiuum acliton, eſt Generis Omnis.

2. Nomina in *EM* & *IM*.
   1. Subſtantiua ſunt indeclinabilia, quorum Genus ex Significatione cognoſces.
   2. Adiectiua ſunt Generis Omnis, Pluralia, indeclinabilia, vt *Totidem, ſeptem, nouem, decem, vndecim, tredecim, &c.*

3. *Tantundem*, eſt Neutrum, in Genitiuo *tantidem*, cæteris caret, & ad Secundam pertinet Declinationem.
4. *Centum*, Plurale indeclinabile eſt Generis Omnis.

## AN, IN.

Græca in *An* & *In*, ſunt Maſculina, & aſſumunt *Is*, vel *Os*, Græcè in Genitiuo, vt *Pœan, Pœanis*, vel *Os*, ſic *Pan, Euan, Titan, Delphin.*

Exceptio, *Salamin Salaminis, Eleuſin Eleuſinis*, ſunt Feminina.

## EN.

In *En*, ſunt Neutra, habentq; in Genitiuo *Inis*, vt *Lumen luminis*, ſic *Carmen, fulmen, flumen, agmen.*

1. *Pecten, flamen, tubicen, tibicen, fidicen, cornicen, oſcen*, habent in Genitiuo *Inis*, ſed ſunt Maſculina.
2. *Lien lienis*, ſic *Attagen, ſplen, lichen, Hymen*, ſunt Maſculina.
3. *Siren Sirenis*, eſt Femininum.

ON.

## *ON.*

Græca in *On*,ſunt Maſculina, & habent in Genitiuo *Onis*, vt *Agon agonis*, ſic *Canon, Iaſon, Dœmon, &c.*

{ Feminina, *Icon, Syndon, alcyon, Babylon, Amazon, Gorgon, aëdon*; habent etiam *Onis*.
*Charon, Acheron, phlegeton, horizon, Phaëton, Laocoon, Xenophon*, ſunt Maſculina, & habent in Genitiuo *Ontis*, vt *Charontis*.

## *AR.*

Nomina in *Ar*, ſunt Neutra & habent in Genitiuo *Aris*, vt *Calcar calcaris*. ſic *Exemplar, nectar, far, baccar, iubar*. item *Hepar hepatis*.

{ 1. Maſculina, *Cæſar, Amilcar, Bomilcar, lar, ſalar, arar*, etiam habent in Genitiuo *Aris*.
2. *Par paris* ſic *Compar, diſpar, impar*, Adiectiua ſunt Generis Omnis, & vnius Terminationis.
3. *Nar, naris, narem*, & Maſculinum, & Neutrum inuenitur.

## *ER.*

In *Er*, ſunt Maſculina, & habent in Genitiuo *Eris*, vt *Agger aggeris*. ſic *Carcer, later, aſſer, anſer, aër, æther; crater, vomer, paſſer*.

{ 1. Neutra iſta. *Iter itineris*. ſic *Ver, acer, ſiler, ſubter vber, tuber, ſiſer, cadauer, papauer, cicer, piper*, habent etiam in Genitiuo *Eris*.
2. *Mater matris, mulier mulieris*, eſt Femininum.
3. Adiectiua, *Pauper, degener, vber, puber, celer*, habent etiam *Eris*, ſed ſunt Generis Omnis.
4. Maſculina iſta, *Pater, frater, venter, accipiter, vter*, habent in Genitiuo *Tris*, vt *Patris*.
5. *Iupiter*, Maſculinum, habet in Genitiuo *Iouis*.

6. *Spinther ſpinthris*, Neutrum. *Linter lintris*, Dubium.

7. Adiectiua in *Ber*, *Cer*, *Ster*, ſunt trium Terminationum, & mutant *Er* in *Ris*, in Genitiuo, vt *hic Acer*, *hæc acris*, *hoc acre*, *huius acris*, ſic *Celeber*, *September*, *October*, *Nouember*, *December*, *ſaluber*, *alacer*, *volucer*, *campeſter*, *pedeſter*, *equeſter*, *ſylueſter*, *ſequeſter*. Ex quibus multa abundant in Maſculino: dicitur enim *hic Celeber* vel *celebris*. ſic *Alacer*, *ſaluber*, *acer*, *ſequeſter*, *ſylueſter*, vel *ris*.

## *OR.*

Nomina in *Or*, ſunt Maſculina, & habent in Genitiuo *Oris*, vt *Dolor doloris*, *decor oris*, *ſartor oris*, *ſutor oris*, *Caſtor oris*, *Neſtor oris*, *Rhetor oris*, *venator oris*, *horror oris*, *Saluator oris*, *&c.*

1. Feminina ſunt, *Soror ſororis*, *vxor vxoris*, *arbor oris*.
2. Neutra ſunt, *Æquor oris*, *marmor oris*, *ador oris*, & *cor cordis*.
3. Communia ſunt, *Author oris*, *fortior oris*, *grauior oris*, & omnes Comparatiui in *Or* exeuntes.
4. Adiectiua. *Memor oris*, *immemor oris*, *concolor oris*, *diſcolor oris*, *verſicolor oris*, *dedecor oris*, *indecor oris*, *bicorpor oris*, *tricorpor oris*, ſunt Generis Omnis.

## *VR & YR.*

In *Vr*, ſunt Neutra, & habent in Genitiuo *Vris*, vt *Murmur murmuris*, *Guttur uris*, *ſulfur uris*, *Tibur uris*.

1. Hæc Maſculina, *Fur*, *trifur*, *ligur*, *furfur*, *turtur*, *vultur*, habent etiam *Vris*.
2. *Cicur cicuris*, Adiectiuum eſt Generis Omnis.
3. *Augur auguris*, *martyr martyris*, ſunt Communia.
4. Neutra, *Femur*, *robur*, *ebur*, *iecur*, habent *Oris*, vt *Roboris*.

*AS La-*

## *AS Latinum.*

In *As*, Latina ſunt Feminina, & habent in Genitiuo *Atis*, vt *Ciuitas ciuitatis*, *Anas atis*, *poteſtas atis*, *maieſtas atis*, *&c.*

1. *Mecœnas*, *optimas*, *primas*; *abbas*; Maſculina habent etiam *Atis*, vt *Mecœnatis*.
2. *Arpinas*, *Aquinas*, *Rauennas*, *Capenas*; & ſimilia, ſunt Generis Omnis, & habent *Atis*.
3. *Mas maris*, *Vas vadis*, *as aſſis*, *Arcas arcadis*, ſunt Maſculina.
4. *Vas vaſis vaſi vaſe*, eſt Neutrum in Plurali *Vaſa vaſorum vaſis*, eſt Secundæ Declinationis.
5. *Fas*, *nefas*, ſunt Neutra indeclinabilia.

## *AS Græcum.*

In *As* Græca Maſculina habent *Antis*, vt *Adamas adamantis*, ſic *Acragas*, *Gigas*, *Pallas*, *Elephas*, *&c.*

In *As* Græca Feminina habent *Adis* vel *ados*, vt *Pallas adis* vel *ados*. ſic *cyclas*, *decas*, *ilias*, *monas*, *pleias*, *&c.*

## *ES.*

In *Es* ſunt Feminina, & mutant *Es* in *Is* in Genitiuo; vt *Nubes nubis*, *vulpes is*, *clades is*, *compages is*, *&c.*

Mutant *Es* in *Is*.
1. Maſculina, *Acinaces*, *Ioannes*, *Ariſtoteles*, *&c.*
2. Neutra, *Cacoëthes Hippomanes*, *Nepenthes*.
3. *Vates*, Commune, & *Torques* Dubium.

4. Feminina *Quies*, *inquies*, *requies*, *abies*, *ſeges*, *teges*, habent in Genitiuo *Etis*, vt *Quietis*.
5. Feminina ſunt: *Merces mercedis*, *Ceres cereris*, *merges mergitis*, & *compes compedis*.

6. Maſculina ſunt, *Pes pedis, bes beſſis, obſes obſidis, præſes præſidis.*

7. Maſculina, *Ames, eques, ceſpes, cocles, pedes, fomes, ſtipes, gurges, trames, palpes, limes, termes, poples, ſatelles, veles, hoſpes,* habent in Genitiuo *Itis*, vt *Amitis.*

8. Maſculina, *Cres, lebes, interpres, magnes, tapes, aries, paries, indiges,* mutant *S* in *Tis*, vt *Cretis, lebetis, &c.*

9. Communia, *Miles, Antiſtes, comes, ales,* habent *Itis*, ſed *Hæres hæredis.*

10. Generis Omnis, *Locuples, teres, prepes, hebes, inquies,* habent in Genitiuo *Etis*, vt *Locupletis.*

11. Generis Omnis, *Diues, ſoſpes, ſuperſtes,* habent *Itis*, vt *diuitis.*

12. Generis Omnis ſunt, *Deſes deſidis, reſes reſidis, pubes puberis, impubes impuberis.*

13. Generis Omnis, *Bipes, turpes, quadrupes, ſemipes, ſonipes,* & cætera Compoſita ex *Pes*, habent *Edis*, vt *Bipedis.*

Quæ ſi Subſtantiuè ſumantur, illius vocis, pro qua capiuntur, Genus habebunt.

## *IS.*

In *Is* ſunt Feminina, & ſimilem Nominatiuo habent Genitiuum, vt *Apis, huius apis,* ſic *Auris, cutis, turris, vehis, phraſis. Geneſis, Syntaxis, &c.*

Græca in *Is*, in Genitiuo Latino non creſcentia, Græcè faciunt Genitiuum per *Eos* vel *Ios*, vt *Geneſis geneſeos* vel *geneſios, &c.*

Similem Nominatiuo habent Genitiuum:

1. Maſculina iſta *Panis, caſſis, torris, orbis, caulis, collis, follis, axis, poſtis, fuſtis, faſcis, enſis, piſcis, vectis, vermis, vnguis, ſemiſsis, centuſsis, decuſsis, maialis, funis, amnis, ignis, crinis, vepris, ſentis, retis, natalis, iuuenis.*

2. Dubia iſta: *Finis, clunis, canalis, anguis, corbis, torquis, callis.*

3. Communia, *Affinis, cinis, hoſtis, canis, teſtis.*

4. Adiectiua in *Is*, Communia, vt *Exſanguis, dulcis, ſuauis, fortis, perennis, turpis, &c.*

5. Fe-

5. Feminina, *Iris, pyxis, caſſis, capis, Mæotis, aſpis, iaſpis, pyramis, Nereis, Phœbeis, Colchis, Æneis, Thebais, Iſraelitis, &c.* habent in Genitiuo *idis* vel *idos*.

6. Feminina ſunt *Cuſpis cuſpidis, lis litis, Opois Opoentis*, vel *os*.

7. Maſculina ſunt, *Glis gliris, lapis lapidis, ſemis ſemiſſis, ſanguis ſanguinis, pollis pollinis, puluis pulueris, cinis cineris, cucumis cucumeris, vomis vomeris, pirois piroentis* vel *os*.

## YS.

In *Ys*, ſunt Feminina, & habent in Genitiuo *Yis* vel *Yos*. vt *Tethis, huius Thethyis* vel *yos*. ſic *Erinnis Erinnyis* vel *Erinnyos, Chelys Chelyis* vel *yos*.

1. Maſculina, *Atis, Capys, Halys, Cothys, Typhys*, habent etiam in Genitiuo *yis* vel *yos*, vt *Capyis* vel *Capyos*.
2. *Chlamys chlamydis* vel *chlamydos, Pelamys Pelamydis* vel *Pelamydos*, ſunt Feminina.

## OS.

In *Os*, ſunt Maſculina, & habent in Genitiuo *Oris*, vt *Ros roris, mos moris, flos, floris, honos honoris, lepos leporis*.

1. *Arbos arboris*, Femininum, *Os oris*, vſtá / Neutrum.
2. Maſculina ſunt: *Nepos nepotis. Rhinoceros Rhinocerotis*, vel *os, Ægoceros Ægocerotis* vel *os*, *Tros Trois, Heros Herois* vel *os, Minos Minois* vel *os*.
3. *Cos cotis, glos glotis, dos dotis*, ſunt Feminina.
4. *Bos bouis, cuſtos cuſtodis, ſacerdos ſacerdotis*, ſunt Communia.
5. *Os oſſis*, Kość / eſt Neutrum.
6. *Exos exoſis, compos compotis, impos otis*, ſunt Generis Omnis.
7. Neutra, *Chaos, Epos, melos*. Græcè per tertiam, *Chaos eos*. Latinè verò per Secundam, *Chaos chai, chao*, declinabis.

## *VS.*

Nomina Tertiæ Declinationis in *Vs*, ſunt Neutra, & habent in Genitiuo *Oris*, vt *Corpus corporis*, *Facinus oris*, *frigus oris*, *pectus oris*, *grauius oris*, *maius oris*, & omnia Comparatiua in *Vs*.

*Lepus leporis*, eſt Maſculinum.

1. Neutra *Acus*, *funus*, *Vlcus*, *Vulnus*, *onus*, *fœdus*, *Viſcus*, *pondus*, *Vellus*, *munus*, *opus*, *genus*, *ſcelus*, *rudus*, *olus*, *ſidus*, habent *Eris*, vt *Aceris*, *&c.*
2. Neutra *Plus*, *crus*, *thus*, *ius*, *rus*, *pus*, habent *Vris*, vt *Pluris*.
3. *Mus muris*, *tripus tripodis* vel *os*, ſic *Chytropus*, *Polypus*, *Oedipus*, *&c.* ſunt Maſculina, ſed *Oedipus* & *Polypus*, ſæpius vt *Dominus* flectuntur.
4. Feminina *Salus*, *ſeruitus*, *iuuentus*, *ſenectus*, *Virtus*, habent in Genitiuo *Vtis*, vt *Salutis*.
5. Feminina ſunt *Tellus telluris*, *palus paludis*, *ſubſcus ſubſcudis*, *incus incudis*, *Venus Veneris*, & *Lagopus odis*.
6. Nomina Oppidorum: *Amathus*, *Trapezus*, *Opus*, *Emaus*, habent *Vntis*, vt *Opuntis*, *&c.*
7. *Sus ſuis*, Commune, *Grus gruis*, Dubium.
8. *Vetus Veteris*, *intercus intercutis*, ſunt Adiectiua vnius Terminationis, Generis Omnis.

## *AVS, & ÆS.*

1. *Laus laudis*, *fraus fraudis*, ſunt Feminina.
2. *Æs æris*, eſt Neutrum. *Præs prædis*, Maſculinum.

## *BS, MS, PS.*

Exeuntia in *Bs*, *Ms*, *Ps*, ſunt Feminina, & mutant *S* in *Is*, in Genitiuo, vt *Plebs plebis*, *Hyems hyemis*, *ſtirps ſtirpis*, *Ops opis*.

1. *Forceps forcipis* Femininum. *Manceps mancipis* Maſculinum, & *Princeps principis*.
2. Maſculina, *Hydrops, cyclops, Æthyops, Arabs, chalybs, gryphs, ſeps*, mutant *S* in *Is*, vt *cyclopis*, *&c.*
3. *Scrobs ſcrobis, ſtirps ſtirpis* pro *trunco*, ſunt Dubia, & *adeps adipis*.
4. *Auceps aucupis, cælebs cælibis, municeps municipis*, ſunt Communia.
5. *Anceps ancipitis, biceps bicipitis, Præceps præcipitis, triceps tricipitis*, ſunt Generis Omnis.

## *LS, NS, RS.*

In *Ls, Ns, Rs*, ſunt Feminina, & mutant *S* in *Tis*, in Genitiuo, vt *Puls pultis, Frons tis, ars tis, mens tis, bidens tis, mors tis, continens tis, conſonans tis*, *&c.*

Mutant *S* in *Tis*, in Genitiuo hæc

1. Maſculina, *Mons, pons, fons, dens, bidens, tridens, rudens, dodrans, dextans, confluens, profluens, torrens, oriens, occidens, cliens.*
2. Neutra, *Accidens, antecedens, conſequens, decens, indecens, conueniens, præſens*, *&c.*
3. Communia, *Parens, adoleſcens, infans.*
4. Generis Omnis, *Expers, iners, ſolers, conſors, ſons, inſons, negligens, diligens*, *&c.*
5. *Serpens ſerpentis*, eſt Dubium.

Participalia hic enumerata, ſi Adiectiuè ſumantur, erunt Generis Omnis, vt *Oriens, occidens.*

1. *Glans glandis, iuglans iuglandis, frons frondis, lens lendis*, ſunt Feminina.
2. *Nefrens nefrendis, libripens libripendis*, ſunt Maſculina.
3. *Concors concordis, diſcors diſcordis, Vecors Vecordis*, ſunt Generis Omnis.
4. *Iens euntis, quiens queuntis*, cum Compoſitis ſunt Generis Omnis, ſed *Ambiens ambientis* facit.

## *AX & AVX.*

1. In *Ax*, ſunt Feminina, & habent in Genitiuo *Acis*, vt *Pax pacis, fax facis, fornax fornacis.*

2. *Faux faucis*, eſt Femininum, *Trifaux trifaucis*, eſt Generis Omnis.

1. Habent in Genitiuo *Acis*, hæc Maſculina, *Thorax, Aiax, arctophilax, Trax, Phæax, abax, colax, &c. myſtax.*
2. Generis Omnis Adiectiua, *Audax, viuax, edax, bibax, tenax, mordax, &c.* habent in Genitiuo *Acis.*
3. *Harpax harpagis, Aſtyanax Aſtyanactis*, ſunt Maſculina.

## *EX.*

1. In *Ex* ſunt Maſculina, & faciunt in Genitiuo *Icis*, vt *Codex codicis.* ſic *Frutex, latex, caudex, index.*

1. Habent in Genitiuo *Icis.*
   1. Feminina *Vibex, carex, pellex, illex, forfex.*
   2. Commune *Iudex, index.*
   3. Dubia, *Silex, obex, pomex, cortex, imbrex.*
   4. Generis Omnis, *Multiplex, duplex, triplex, &c.*

5. *Grex gregis, Rex regis, aquilex aquilegis, veruex veruecis, remex remigis*, ſunt Maſculina. *Senex ſenis, exlex exlegis.*
6. *Nex necis, fex fecis, lex legis, ſupellex ſupellectilis*, ſunt Feminina.
7. *Sex*, Plurale, indeclinabile, eſt Generis Omnis.

## *IX & YX.*

1. In *Ix*, ſunt Feminina, & habent in Genitiuo *Icis*, vt *Pix picis.* ſic *Ceruix, radix, perdix, &c.*

1. *Nix niuis, ſtyx ſtygis, ſtrix ſtrigis, maſtix maſtigis*, ſunt Feminina.
2. Mutant *X* in *Cis*, hæc Maſculina, *Spadix*, *Phœnix*, *foxnix*, *calix*, *varix*, *natrix*, *cilix*, *Eryx*.
3. Adiectiua Generis Omnis, *Felix*, *pernix*, *trilix*, *ſpadix*, mutant *X* in *Icis*.
4. *Onyx onychos*, *ſardonix ſardonychos*, *Iapyx Iapygis*, *Phryx phrygis*, *Homeromaſtix Homeromaſtigis*, & alia ex *Maſtix* Compoſita ſunt Maſculina.

## *O X.*

Nomina in *Ox*, ſunt Feminina, & habent in Genitiuo *Ocis*, vt *Vox vocis*, *celox celocis*.

1. *Atrox*, *velox*, *ſolox*, *precox*, *ferox*, habent *Ocis* in Genitiuo ſed ſunt Generis Omnis.
2. Maſculina ſunt, *Allobrox Allobrogis*, *Cappadox Cappadocis*, *voluox voluocis*.
3. *Nox noctis*, eſt Femininum.

## *V X.*

In *Vx* ſunt Feminina, & habent in Genitiuo *Vcis*, vt *Nux nucis*, *lux lucis*, *crux crucis*.

1. *Dux ducis*, eſt Commune, *Frux frugis*, Femininum.
2. Maſculina ſunt, *Pollux pollucis*, *redux reducis*, *tradux traducis*.
3. *Trux trucis*, eſt Generis Omnis.

## *LX, NX, RX.*

Habentia Conſonantem ante *X*. ſunt Feminina, & mutant *X* in *Cis*, vt *Falx falcis*. ſic *lanx*, *arx*.

1. *Coniunx coniugis*, eſt Commune.
2. *Deunx deuncis*. ſic *quincunx*, *&c.* ſunt Maſculina.
3. Feminina ſunt, *Sphynx ſphyngis*, *Syrinx Syringis*, *phalanx phalangis*.

## De Datiuo, Accuſatiuo, Vocatiuo, & Ablatiuo Singulari Tertiæ Declinationis.

Tertiæ Declinationis Singularis
1. Datiuus exit in *I*, vt *huic lepori.*
2. Accuſatiuus exit in *Em*, vt *hunc leporem.*
3. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo, vt *ô lepus.*
4. Ablatiuus exit in *E*, vt *ab hoc lepore.*

## Accuſatiuum Singularem formant.

1. Per *Im* tantùm iſta: *Vis, amuſſis, cucumis, peluis, rauis, ſecuris, ſitis, ſtrigilis, tuſſis, mephitis, buris*, vt *Vim, amuſſim, peluim, &c.*

2. Per *Em* vel *Im* iſta: *Aqualis, clauis, febris, lens lentis, nauis, puppis, reſtis, ſementis, turris, cannabis.*

3. Per *Im* vel *In* Græca *Is* finita, Genitiuum ſimilem Nominatiuo apud Latinos habentia, vt *Geneſim* vel *in Syntaxim* vel *in.*

4. Per *Ym* vel *Yn* Græca *Ys* finita, in Genitiuo *Os* purum habentia, vt *Halym* vel *yn, Capym* vel *yn, &c.*

5. Per *Em* vel *A* Græca in Genitiuo creſcentia, vt *Aërem* vel *aëra, ætherem* vel *ra, Heroem* vel *Heroa, &c.* præter *Pan Pana* non *Panem.*

6. Quadrupliciter per *Em*, per *A*, per *Im*, pet *In.* hæc Nomina, *Paris, Iris, Iſis, Alexis, Daphnis, Oſyris, Tygris, Zeuxis, Adonis, Agis,* & alia *Is* finita duos Genitiuos, vnum in *O* purum alium in *O* impurum Græcè habentia, accentu in vltima carentia, vt *Paridem* vel *Parida*, vel *Parim*, vel *Parin.*

1. In quibuſdam Nominibus in Accuſatiuo *N* pro *M* ponitur Euphoniæ cauſa. vt *Moyſem* vel *Moyſen, &c.*

2. Accuſatiuus Græcorum in Genitiuo *Os* purum habentium, deſinens in *Im* vel *In.* item in *Ym* vel *Yn* ſyllabarum numero, Nominatiuo, non verò Genitiuo, debet eſſe æqualis, vt *Geneſis geneſeos, geneſim* vel *geneſin*, non *geneſijn.*

3. Græca in *Is, Ys, Vs*, item in *As* formantia Genitiuum per *Antis*, duplicem poſſunt habere Vocatiuum. Primò ſimilem Nominatiuo. Secundò depoſitâ literâ *S*, vt ô *Simois, Tethys, Melampus, Pallas*, vel ô *Simoi, Tethy. Melampi, Palla*, item ô *Chremes Laches, Socrates, Vlyſſes*, vel *Chreme, &c.*

## Exceptio Ablatiui.

1. Ablatiuum Singularem formant per *I* tantùm Nomina.

1. Subſtantiua Neutra in *Al, Er, E*, deſinentia *ab animali, calcari, cubili.*
2. Menſium, vt *ab Aprili, Septembri, Nouembri.*
3. Adiectiua habentia in Nominatiuo Neutrum per *E*, vt *à forti, acri, graui, ſuaui, &c.*
4. Accuſatiuum per *Im* tantùm, vel per *Im*, & *In*, ſimul habentia, vt *ab hac Vi, ſiti, geneſi, &c.*
5. Iſta quatuor, *ſtrigili, canali, memori, immemori.*

2. Ablatiuum Singularem formant per *E* & *I* ſimul Nomina.

1. Quorum Accuſatiuus per *Em* vel per *Im* ſimul exit, vt *à Turri* vel *turre, à naui* vel *naue.*
2. Iſta, *Amnis, ignis, Vectis, anguis, Vnguis, Vigil, auis, ciuis, imber, pugil, ſuppellex, finis, fuſtis, poſtis.*
3. Verbalia in *Trix* Adiectiuè ſumpta, vt *à Victrice* vel *Victrici, Vltrice* vel *Vltrici.*
4. Gentilia in *As*, vt *ab Arpinate* vel *Arpinati.*
5. Adiectiua non habentia Neutrum per *E*, vt *à felice* vel *felici, fortiore* vel *fortiori, &c.* Excipe, *Hoſpite, ſoſpite, paupere.*

## De Plurali Numero.

1. Nominatiuus, Accuſatiuus & Vocat: Pluralis Tertiæ Declinat: Nominis

1. Alterius à Neutro exit in *Es*, vt *Lepores.*
2. Neutrius Ablatiuum habentis in *E*, tantùm terminatur in *A*, vt *Ora, corpora, capita, flumina, &c.*
3. Neutrius Ablatiuum habentis in *I*, vel *E* & *I* ſimul, terminatur in *IA*, vt *Animalia, felicia, &c.*

*Vetus*

*Vetus, bicorpor, tricorpor,* & Comparatiua Neutra omnia formant Nominatiuum, Accuſatiuum & Vocatiuum Pluralem in *Ra*, vt *meliora*.

Græca apud Latinos in Genitiuo Singulari creſcantia, Accuſatiuum Pluralem formant per *Es* vel *As*, vt *Heroes* vel *Heroas, crateres* vel *crateras, Martyres* vel *Martyras*.

## De Genitiuo Plurali Tertiæ Declinationis.

Genitiuus Pluralis Tertiæ Declinationis deſinit in *Vm*, vt *Patrum, fratrum, &c.*

Genitiuum Pluralem formant per *Ium* Nomina.
1. Quibus eſt Ablatiuus in *I*, aut in *I* & *E*, ſimul vt *Animalium, cubilium, fortium, ignium.*
2. In *Es* & *Is* Genitiuo non creſcentia, vt *Nubium.*
3. Monoſyllaba, vt *Cordium, artium, gentium, &c.*
4. Pluralia tantùm, vt *Mœnium, trium, manium.*
5. *Ns.* finita vt *Animantium, audientium.*
6. Iſta, *Caro, Venter, linter, Vter, cohors, quincunx.*
7. Gentilia, vt *Samnitium, Arpinatium.*

Genitiuum Pluralem formant per *Vm* Nomina
1. Comparatiua Omnia, vt *Maiorum, fortiorum.*
2. Iſta, *Supplex, memor, Vetus, Vigil, pugil, particeps, diues, degener, Vber, puber, compos, impos, conſors, inops.*
3. Iſta, *Vates, Volucris, iuuenis, canis, panis, ſtrigilis.*
4. Iſta, *Ren, ſplen, bos, flos, mos, fur, pes, curus, Rex, lex, dux, nux, Vox,* vt *Vocum, ducum, &c.*
5. Iſta, *Proceres, lemures, preces, opes.*
6. Iſta, *Arcas, Arabs, Ethyops.*

## OBSERVATIONES.

1. Interdum Genitiuus Pluralis Tertiæ Declinationis, admittit Syncopen, aut etiam Epentheſin, vt 1. *Prudentum prudentium, parentum parentium, arrogantum arrogantium, Penatum Penatium, optimatum optimatium.* 2. *Alitum alituum, cælitum cælituum.*

2. Græca

2. Græca omnia *Os* Genitiui Singularis, mutant in Genitiuo Plurali, apud Græcos in *On*, apud Latinos in *Vm*, vt *Lampas, huius lampados, harum lampadon* vel *lampadum*.

## De Datiuo & Ablatiuo Plurali.

Datiuus & Ablatiuus Pluralis Tertiæ Declinationis deſinit in *Ibus*, vt *Leporibus, &c.*

1. *Bos* habet *bobus* vel *bubus* in Datiuo & Ablatiuo Plurali.
2. Neutra in *A* Tertiæ Declinationis Datiuum & Ablatiuum Pluralem dupliciter formant, primò per *Tis*, ſecundò per *Ibus*, ſed per *Tis* elegantiùs, vt *Commatis* vel *commatibus*.

## De Deficientibus Numero.

Nomina Tertiæ carentia
- Plurali Maſculina ſunt iſta: *aër, æther, ſopor.*
- Plurali Feminina ſunt iſta, *Indoles, proles, lues, ſtrues, tabes, labes, ſalus, tellus.*
- Plurali Neutra ſunt iſta: *Gauſape, Nepenthes cacoëthes, hippomanes, fel, iubar, nemo, gluten.*
- Singulari Maſculina ſunt iſta, *Cælites, Penates, lemures, manes, antes, proceres, annales, faſces, caſſes, pugillares.*
- Singulari Feminina ſunt iſta, *Tralles, Gades, Alpes.*
- Singulari Neutra ſunt iſta, *Altaria, Mœnia, Saturnalia, Bacchanalia, Feralia, Floralia, &c.*

# CAPVT VIII.

## De Quarta Declinatione.

1. Nomina Quartæ Declinat: in
   1. *Vs*, ſunt Maſculina, vt *Fructus, ſenſus, arcus, &c.*
   2. *V*, ſunt Neutra omnia, vt *Cornu, gelu.*

1. Feminina ſunt, *Manus, quercus, acus, anus, tribus, porticus, ſocrus, nurus, domus*, & Plurale *Idus*.
2. *Specus, Penus*, ſunt Dubia; *ſed penus & gelu*, carent Plurali.

2. Quar-

2. Quarta Declinatio terminat
- Singularem
  1. Nominatiuum, Genit: & Vocat: in *Vs*, vt *hic, huius ô Fructus.*
  2. Datiuum in *Vi*, vt *Fructui.*
  3. Accuſatiuum in *Vm*, vt *Fructum.*
  4. Ablatiuum in *V*, vt *Fructu.*
- Pluralem
  1. Nominatiuum, Accuſ: & Vocat: in *Vs*, vt *hi, hos, ô Fructus.*
  2. Genitiuum in *Vum*, vt *Fructuum.*
  3. Dat: & Ablat: in *Ibus*, vt *Fructibus.*

1. *IESVS* ſanctiſſimum Nomen ſic declinatur. *Hic IESVS, huius IESV, huic IESV, hunc IESVM, ô IESV, ab hoc IESV.*
2. Deſinentia in *V* in omnibus Caſibus Singularibus, vnam habent Terminationem, ſcilicet *V.* in Plurali verò tres, in Nominatiuo, Accuſatiuo, & Vocatiuo *A*, in Genitiuo *Vum*, in Datiuo & Ablatiuo *Ibus*, vt *Cornu, cornua, cornuum, cornibus*, præter *Veru Verubus.*
3. *Specus, artus, arcus, lacus, partus, tribus, acus, portus, quercus*, Datiuum & Ablatiuum Pluralem formant per *Vbus*, vt *Specubus, &c.*

## CAPVT IX.

### De Quinta Declinatione.

1. Nomina Quintæ Declinationis ſunt Feminina, vt *Res, ſpes, &c.* præter *hic* vel *hæc dies, hi dies, hic meridies.*

2. Quinta Declinatio format
- Singularem
  1. Nomin: & Vocat: per *Es*, vt *Res.*
  2. Genit: & Datiu: per *Ei*, vt *Rei.*
  3. Accuſatiuum per *Em*, vt *Rem.*
  4. Ablatiuum per *E* vt *Re.*
- Pluralem
  1. Nom: Accuſ: Voc: per *Es*, vt *Res.*
  2. Genitiuum per *Erum* vt *Rerum.*
  3. Dat: & Abl: per *Ebus*, vt *Rebus.*

CAPVT

# CAPVT X.

## De Heteroclitis.

*Heteroclita Nomina ſunt, quæ in declinando iſta quinque Accidentia,* Genus, Declinationem, Numerum, Caſum, & Terminationem *in Recto cum Analogis non ſeruant eadem, & ſimilia.*

Hetero-clita. {
Variantia. 1. Declinationem 2. Genus. 3. Genus & Declinationem.
Deficientia. Numero Singulari, aut Plurali. Item Caſu, Aptota, Monoptota, Diptota, Triptota.
Abundantia. 1. Terminatione. 2. Declinatione. 3. Genere & Declinatione.
}

## Variantia Genus.

1. Hæc Nomina, *Auernus, Dindymus Gargarus, Iſmarus, Mænalus, Maßicus, Pangæus, Tænarus, Tartarus,* in Singulari ſunt Maſculina, & vt *Dominus*, in Plurali Neutra, & vt *Scamna* declinantur; *Hæc Pergamus* vt *Fagus, hæc Pergama Pergamorum,* vt *Scamna orum.*
2. *Hic locus, iocus* vt *Dominus*, in Plurali, *hi loci, ioci* vt *Domini*, & *hæc loca, ioca* vt *Scamna.*
3. *Hoc cælum,* vt *Scamnum,* in Plurali, *hi cæli,* vt *Domini.*
4. *Hoc frenum, raſtrum,* vt *Scamnum,* in Plurali, *hæc frena, raſtra,* vt *Scamna,* & *hi freni, raſtri,* vt *Domini.*
5. *Argos* in Singulari Neutrum indeclinabile, in Plurali verò Maſculinum, vt *Domini* declinatur.

## Variantia Declinationem.

1. *Hoc iugerum iugeri iugero,* in Singulari eſt Secundæ, in Plurali Tertiæ, *hæc iugera iugerum iugeribus.*
2. *Hoc vas vaſis vaſi vaſe,* in Singulari eſt Tertiæ, in Plurali Secundæ, *hæc vaſa vaſorum vaſis.*

## Variantia Genus & Declinationem.

2. Artium Nomina, vt *Rhetorica, Ethica, Politica, Phyſica, &c.* in Singulari ſunt Feminina Primæ. in Plurali, *Hæ Rhetoricæ Rhetoricarum* & *hæc Rhetorica Rhetoricorum* Secundæ.

## Deficientia Numero.

Carent Numero Plurali Nomina
1. Metallorum vt *Aurum, argentum, &c.* præter *Æra, electra, ſtanna, Orichalca,*
2. Frumentorum, vt *Triticum, ſiligo, &c.* præter *Auenæ, hordea.*
3. Herbarum, vt *Hyſſopum, &c.* præter *Lilia, roſæ.*
4. Liquorum, vt *Lac, acetum, oleum, &c.* præter *Vina, muſta.*
5. Rerum quas metimur, aut ponderamus, vt *Piper, crocus, butyrum,* præter *mella.*
6. Multa ætatum virtutum, & vitiorum.

Annotátio. *Nomina Propria carent Numero Plurali, ſecundùm quoſdam Grammaticos, Vt* Petrus, Anna. *Sed contraria opinio Verior eſſe Videtur, Vt Exempla docent. Cicero dixit:* tres Iones, quatuor Veneres, trium Antoniorum, Paulos, Catones, Scipiones. *Ouidius,* multos Hectores, *Martialis,* duos Senecas. *Iuuenalis;* Curios ſimulant, Linacer lib. *6. in Synchyſi, iubet illorum ſuperſtitionem redarguere, qui docent Propria Nomina Plurali carere.* Deſpauterius lib. 3. taliâ de hac re ſcribit verba; *Quando plures eiuſdem Nominis aut ſimiles ſignificare Volumus homines poſſumus Vti Plurali, Antonij, Scipiones, Platones, & Adiectiua addere, Vt Appellatiuis, Veluti tres Antonij, multi Hectores, &c. non Vt Grammatiſtæ Volunt duos, quorum Vterq; dicebatur Petrus, aut triplicem Petrum nisi tricorporem aut triplicem ſignificaueris, qualem Cerberum aut Gerionem fuiſſe fabulantur.*

## Deficientia Caſu.

1. Aptota, id eſt indeclinabilia ſunt, quæ non declinantur, vt *Pondo, nihili, tot, quot, quatuor, quinque, ſex, ſeptem, &c.*
2. Monoptota, id eſt, quæ in vno Caſu reperiuntur, ſunt hæc *Exſpes* in Nominatiuo, *Dicis* in Genitiuo *inficias, inferias, incitas* in Accuſatiuo *iuſſu, permiſſu, natu, noctu, promptu* in Ablatiuo.
3. Diptota, id eſt, quæ in duobus Caſibus reperiuntur, ſunt iſta: *Tantundem, tantidem, ſuppetiæ, ſuppetias, fors forte, macta macti, ſpontis ſponte, repetundarum repetundis.*
4. Triptota, quæ in tribus Caſibus reperiuntur, ſunt iſta, *Ops opem ope, precis precem prece.*

Abun-

## Abundantia Nomina.

1. Abundans Nomen eſt, quod in eadem Significatione, recipit diuerſam ſeu Terminationem, ſeu Declinationem, ſeu aliquod aliud attributum.

2. *Domus*, tum Secundæ, tum Quartæ eſt Declinationis; ſed in Secunda caret Vocatiuo Singulari, item Nominatiuo & Ablatiuo Plurali; in Quarta verò tantùm caret Ablatiuo Singulari.

3. *Vulgus* in Accuſatiuo *hoc vulgus* & *hunc vulgum*.

4. Hæc quinque, *Colus*, *cornus*, *laurus*, *platanus*, *pinus*, declinantur in vtroque Numero integrè vt *Fagus*, & præterea ex Quarta, habent omnes illos Caſus vtriuſque Numeri, qui deſinunt in *Vs*, *Vm*, *V*.

5. *Ficus*, pro *morbo* eſt Maſculinum Secundæ tantùm, pro *arbore* verò vel *fructu* eſt Femininum. tum Secundæ, tum Quartæ, & vbique integrè declinatur; ſed Datiuo & Ablatiuo Plurali in Quarta caret.

6. Hæc duo *Quercus*, *lacus*, declinantur in vtroque Numero integrè, vt *Manus*, & præterea ex Secunda habent Caſus in *I* deſinentes. *Quercus* verò habet etiam Genitiuum Pluralem *quercorum*.

7. Neutrum *Pecus pecoris*, & Femininum *pecus pecudis* abundant & Genere, & Caſibus obliquis.

8. *Penus* Singulare tantum, in Quarta eſt Dubium, in Secunda Maſculinum. *Penus* vtriuſque Numeri eſt Tertiæ Neutrum. *Penum* Singulare tantum eſt Neutrum Secundæ. *Penu* eſt Singulare indeclinabile Neutrum Quartæ.

9. *Specus* eſt Dubium. Quartæ integrum, dicitur etiam *Hoc ſpecus* & *hoc ſpecu*, in Nominatiuo, Accuſatiuo, & Vocatiuo: item *hoc ſpecu* Neutrum indeclinabile.

10. Terminatione Abundantia ſunt iſta: *Apes apis*, *torques torquis*, *honor honos*, *papyrus um*, *pileus um*, *tonitrus tonitru*, *ſcorpius ſcorpio*, *pauus pauo*, *rapa um*, *neceſſitas neceſſitudo*, *luxuria luxuries*, *materia es*, *ganea um*, *euentus um*, *cantus cantio*, *cantilena canticum*, *&c.* item Adiectiua, *imbecillis* vel *imbecillus*, *ſaluber* vel *ſalubris*, *&c.*

# CAPVT XI.

## De Compoſitis & Patronymicis.

Nomina Compoſita ex

1. Nominatiuis duobus integris declinabilibus, vtrumque declinant Nominatiuum, ita, vt extra Compoſitionem, vt *Reſpublica, Reipublicæ, Rempublicam, iuſiurandum, iuriſiurandi, iurijurando.* Excipe, *Leopardus, leopardi, leopardo, &c.*
2. Nominatiuo & Genitiuo, aut ex Genitiuo & Nominatiuo, itemque ex parte declinabili, & Nominatiuo tantùm Nominatiuum inflectunt, & quædam quidem Simplicis ſui retinendo Declinationem, vt *Paterfamilias, Tribunuſplebis, Ludimagiſter, infinitus, &c.* Quædam verò nouam adſciſcendo, vt *Capricornus capricorni, exſanguis, huius exſanguis, huic exſangui,* non *exſanguinis.*
3. Genitiuis duobus non declinantur.
4. Dictionibus duabus vtriſq; corruptis vel vna tantùm ſecundùm Terminationem ſunt declinanda, vt *Centimanus centimani,* ſic *armiger, opifex, omnipotens, &c.*

1. In *Alteruter* poſterior tantùm pars declinatur, præter Genitiuum, *alteriuſutrius* & *alterutrius.*
2. *Roſmarinus* dupliciter .ſ. *roſmarini* vel *roriſmarini.*

## De Patronymicis.

Patronymica

1. A Proprijs ferè Nominibus Patrum, Auorum, Proauorum, Fratrum, Matrum, Sororum, Regum, Regionum, Montium, &c. deriuantur, vt *Priamides, Atlantiades.*
2. Habent quatuor Terminationes, *As, Es, Is, Ne.* vt *Æetias, Pelides, Æneis, Nerine.*
3. In *Es,* ſunt Maſculina Primæ, vt *Hippotades, Æneades,* & declinantur vt *Anchiſes.*
4. In *As,* & *Is,* ſunt Feminina Tertiæ, vt *Phaetontias, Colchis, Sicelis, Æneis.*
5. In *Ne,* ſunt Feminina Primæ, vt *Neptunine, Adraſtine,* & declinantur vt *Ode.*

CAPVT

## CAPVT XII.

# DE PRONOMINE.

Quid eſt Pronomen? *Eſt vox declinabilis loco nominis poſita, Perſonam ſignificans, vt* Ego, Tu, Ille.

Quot ſunt Pronomina Simplicis Figúræ? *Octodecim: Ego, Tu, Sui, Hic, Iſte, Ille, Ipſe, Is, Quis, Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter, Noſtras, Veſtras, Cuias, Cuius.*

Quot ſunt Pronominis
1. Accidentia? *Octo:* Figura, Species, Qualitas, Perſona, Genus, Declinatio, Numerus, Caſus.
2. Figuræ? *Tres:* Simplex, vt *Ego*, Compoſita, vt *Egoipſe*, Decompoſita, vt *Egometipſe.*
3. Species? *Duæ:* Primitiua, vt *Ego, Tu, Sui*, Deriuatiua, vt *Meus, Tuus, Suus.*
4. Perſonæ? *Tres:* Prima, vt *Ego, Nos.* Secunda, vt *Tu, Vos.* Tertia, vt *Ille, Illi.*
5. Genera? *Quatuor:* Maſculinum, Femininum, Neutrum, Omne.
6. Declinationes? *Quinque:* 1. 2. 3. 4. 5.
7. Numeri? *Duo:* Singularis & Pluralis.
8. Caſus: *Sex:* Nom: Gen: Dat: Ac: Voc: Abl.

Pronomina Declinationis
1. Primæ, ſub Terminatione Secunda? ſub Prima verò & Tertia Secundæ, ſunt iſta decem: *Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter, Hic, Is, Iſte, Ille, Ipſe.*
2. Tertiæ, ſunt iſta tria, *Noſtras, Veſtras, Cuias*, quæ ſunt Generis Omnis.
3. Quartæ hæc ſunt duo, *Qui* & *Quis*, cum Compoſitis, vt *Quiuis, quilibet, quiſq;, &c.*
4. Quintæ, ſunt iſta tria, *Ego, Tu, Sui.*

Admónitio. *Maioris facilitatis gratiâ, tot aſſignantur Declinationes Pronominum, quot ſunt etiam in nomine; & ad eas reuocata ſunt quædam ex Pronominibus, quarum in declinando magis videntur ſequi Analogiam. quomodo autem ſingula Pronomina ſint declinanda, clarè in Tyrocinio docetur.*

## OBSERVATIONES.

1. Omnia Pronomina ferè Vocatiuis carent, præter quatuor: *Tu, Meus, Noſter,* & *Noſtras.*
2. *Sui* eodem modo in vtroque Numero declinatur. ſed caret Nominatiuo.
3. *Meus* in Vocatiuo habet *Mi,* non *Mee.*
4. Poſſeſſiua Pronomina, id eſt, quæ poſſeſſorem indicant, ſunt quinque: *Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter.*
5. Gentilia Pronomina, id eſt, quæ gentem aut ſectam ſignificant, ſunt duo: *Noſtras* & *Veſtras.*
6. Interrogatiua Pronomina ſunt tria: *Quis, Cuius, Cuias.*
7. Reciproca Pronomina ſunt duo: *Sui* & *Suus*, quæ ad eandem tertiam Perſonam redeunt.
8. Relatiua Prónomina, id eſt, quæ rem prius dictam commemorant, ſunt iſta: *Qui, Hic, Iſte, Ille, Ipſe, Is, Idem.*
9. Demónſtratiua Pronomina ſunt hæc, *Ego, Tu, Hic, Iſte, Ille, Ipſe, Is.*

## ANNOTATIONES.

1. *Quis* habet iſta Compoſita *Quiſnam, quiſquis, quiſque, quiſquam, quiſpiam, aliquis, ſiquis, nequis, ecquis, vnuſquiſque, ecquiſnam,* quorum Feminina in Nominatiuo Singulari & Plurali; item quoque Neutra in Plurali per Æ diphtongum finiuntur: præter *Aliqua, ſiqua, nequa,* in Feminino Singularia & Neutro Pluralia, at in Plurali Femininum, *Aliquæ, ſiquæ, nequæ. Ecquis* habet *ecqua* vel *ecquæ* in Genere Feminino.
2. *Quicum,* pro Ablatiuo *cum quo, cum qua, cum quo* eleganter ponitur: ſiue ſit Relatiuum, ſiue Interrogatiuum. Ter. *Qui cum filius loquitur?*
3. *Quid,* cum ſuis Compoſitis eſt Subſtantiuum. *Quod* verò cum ſuis eſt Adiectiuum.

CAPVT

# CAPVT XIII.

# DE VERBO.

Quid eſt Verbvm? *Eſt vox, per Modos, Témpora, Númeroſ, & Perſónas flexibilis, vt* Sum, Amo, Amor, &c.

Quotuplex eſt Verbum ratione
- 1. Perſonæ? *Duplex:* Perſonále, *&* Imperſonále.
- 2. Coniugationis? *Duplex:* Análogum, *&* Anómalum, (*quorum vtrumque adhuc eſſe triplex ſtatuitur,* Abúndans, Defectiuum, *&* Medium.)
- 3. Conſtructiônis? *Duplex:* Abſolûtum, *&* Tranſitiuum.
- 4. Rei ſignificátæ? *Triplex:* Subſtantiuum, Vocatiuum, *&* Adiectiuum.

Admónitio. *Vt ad interrogationem iſtam,* Quale eſt Verbum? *ſtatim Puer reſpondere queat; opus erit ipſi prius indicáre, ratiône cuius ea interrogatio fiat, ſcilicet, an ratiône* Perſónæ? *an ratióne* Coniugationis? *an ratióne* Conſtructionis? *an denique ratiône* Rei ſignificatæ.

Quid eſt Verbum
- 1. Perſonâle? *Quod per tres Perſónas in vtroq; Número coniugatur, vt* Amo, amas, amat: Amâmus, amâtis, amant.
- 2. Imperſonâle? *Quod tantùm per vnam Perſónam tértiam in Número Singulári flectitur, vt* Pudet, piget, ſtatur, &c.

Quid eſt Verbum

1. Analogum? *Quod in Præſenti, & eius Deriuatiuis omnes Perſonas, eodem & ſolito modo inchoat, terminat, & creſcere facit: Vt* Do, ſcribo.
2. Anomalum? *Quod in Præſenti, aut eius Deriuatiuis, omnes Perſonas eodem & ſolito modo, aut non inchoat, aut non terminat, aut creſcere non facit: Vt* Sum, Fero, Volo.
3. Abundans? *Quod manente eadem ſignificatione, plures, quam vnam habet, aut Terminationes, aut Coniugationes, aut Præteriti vel Supini Formationes, de quibus vide* Cap. 15. 16. 17. & 18.
4. Defectiuum? *Quod caret, aut Modo, aut Tempore, aut Perſona, aut Præterito, aut Supino.*
5. Medium? *Quod nec abundat, nec caret vllo Accidente, manente eâdem ſignificatione.*
6. Abſolutum? *Quod præter Caſum alicuius Circumſtantiæ, vt Loci, Temporis, &c. item cognatæ Significationis nullum, alium poſt ſe regit: Vt* Sto, ſedeo, eo, maneo.
7. Tranſitiuum? *Quod præter Caſum alicuius Circumſtantiæ, vt Loci, Temporis, &c. item cognatæ Significationis etiam alios admittere poteſt, vt* Lego, ſcribo, fero.
8. Subſtantiuum? *Quod rem eſſe ſignificat; ſunt autem Verba Subſtantiua quatuor:* Sum, fio, forem, exſiſto.
9. Vocatiuum? *Quod Nomen rei exprimit: ſunt autem quinque Verba Vocatiua:* Vocor, appellor, nominor, dicor, nuncupor.
10. Adiectiuum? *Quod aliquod rei Accidens, aut proprietatem declarat. Sunt autem Verba Adiectiua, omnia alia, præter Subſtantiua & Vocatiua.*

Annotatio 1. *Erant qui* Gigno genui genitum, Sterno ſtraui ſtratum, Do dedi datum, *& cætera ſimilia dicunt eſſe Verba Anomala, Nam Verbum Anomalum, non illud eſt, cuius Præteritum aut Supinum ab alia ſyllaba incipit, & ab alia Præſens, ſed illud tantum quod Perſonas Præſentis, & eius Deriuatiuorum, aut initio, aut in medio, aut in fine mutat, qualia ſunt:* Sum, fero, volo, &c.

Annotatio 2. *Strictè loquendo, ferè omnia Verba apud Latinos ſunt Defectiua; quum omnium nonnulla Tempora ex Participijs, & Verbo* Sum, *ſuppleantur.*

De Ac-

# De Accidéntibus Verbi.

## Quot ſunt in Verbo.

1. Accidentia? *Octo*: Figura, Species, Genus, Coniugatio, Modus, Tempus, Numerus, Perſona.
2. Figuræ *Tres*: Simplex, vt *Rego*, Compoſita, vt *Porrigo*, Decompoſita, vt *Exporrigo*.
3. Species *Duæ*: Primitiua, vt *Rogo*, Deriuatiua, vt *Rogito*.
4. Genera *Quinque*: Actiuum, Paſſiuum, Neutrum, Deponens, Commune.
5. Coniugationes *Quatuor*: Prima, Secunda, Tertia, Quarta. *harum qualibet eſt duplex*: Analoga & Anomala. Analoga *Verbi Analogi*, Anomala *Verbi Anomali*.
6. Modi *Septem*: Indicatiuus, Imperatiuus, Subiunctiuus, Optatiuus, Potentialis, Permiſſiuus, & Infinitiuus.
7. Tempora *Quinque*: Præſens, Præteritum imperfectum, Præteritum perfectum, Præteritum pluſquam perfectum, & Futurum.
8. Numeri *Duo*: Singularis & Pluralis.
9. Perſonæ *Tres*: Prima, vt *Amo*, Secunda, vt *Amas*, Tertia, vt *Amat*.

*Verbum deſinens in*
- 1. *O*, cui *R* addi
  - 1. poteſt, eſt Actiuum, vt *Amo, lego, emo.*
  - 2. non poteſt, eſt Neutrum, vt *Egeo, ſtudeo.*
- 2. *M*, eſt Neutrum, vt *Sum, adſum, proſum.*
- 3. *Or*, ſi ex eo Actiuum
  - 1. fit, eſt Paſſiuum, vt *Amor, legor.*
  - 2. non fit, & ſignificat agere tantùm, eſt Deponens, vt *Rixor*, ſi verò ſignificat agere & pati ſimul eſt Commune, vt *Oſculor*.

## CAPVT XIV.

### De Præteritis Regulæ Generales.

1. Verbum Compoſitum, ita format ſuum Præteritum & Supinum, ſicut Verbum ſimplex, & iuxta eandem Regulam: vt *Perlego perlegi perlectum*; ſicut *Lego legi lectum.*

Sunt nonnulla Compoſita, quæ ſuum Præteritum & Supinum formant aliter, quàm Verbum ſimplex, vt *Intelligo intellexi intellectum*, licet *Lego legi lectum* habeat.

2. Licet ſimplex Præteriti principium geminet, tamen Compoſitum non debet geminare: vt *Pello pepuli pulſum, repello repuli*, non *repepuli.*

*Præcurro*, item *repungo*. & Compoſita Verbi *diſco, poſco*, geminant Præterita ſuorum ſimplicium: vt *Præcucurri, repupugi, edidici, repopoſci.*

3. Quæcunque carent Præterito, carent etiam & Supino, & Participijs à Supino deſcendentibus, itemque Verbalibus, vt Neutrum *Gliſco*, & Deponentia *Reminiſcor, Veſcor, &c.*

4. Verbum Paſſiuum.
- 1. Præterita ſua in qualibet Coniugatione componit ex Præterito Participij, & Verbo *Sum*, vt *Amor amatus ſum* vel *fui. Legor lectus ſum* vel *fui.*
- 2. Caret Præterito, quando eius Actiuum caret Supino, vt *Diſcor, metuor.*
- 3. Tot habet Præterita, quot in Actiuo ſunt Supina, vt *Lautus, aut lotus, aut lauatus ſum* vel *fui.*

5. Supina Deponentium ex ipſorum Præteritis cognoſcuntur, vt *Sciſcitatum*, ex *ſciſcitatus ſum*, *imitatum*, ex *imitatus ſum.*

CAPVT

# CAPVT XV.

## De Prima Coniugatione.

Verba Primæ Coniugationis formant Præteritum in *Aui*, Supinum in *Atum*, vt Actiua, *Amo amaui amatum. Leuo leuaui leuatum. Recreo aui atum.*

1. Neutra iſta : *Cubo, crepo, ſono, tono* ; & hæc Actiua, *Domo, veto, increpo, incubo, intono*, habent *Vi*, *itum*, & aliquando *Aui atum*, vt *Cubo cubui cubitum*, vel *aui atum*.

Compoſita Verbi *Cubo* cùm habent *m* ante *Bo*, ſunt Tertiæ, cùm non habent, ſunt Primæ Coniugationis.

Compoſita Verbi *Crepo increpui increpitum, concrepui concrepitum, diſcrepaui diſcrepatum* magis laudantur.

2. Neutra, *Mico micui, emico emicui, dimico dimicui*, carent Supino; ſed *dimico*, ſæpius *dimicaui* & *atum* facit.

3. Cum Compoſitis eſt Actiuum.

1. *Necô aui átum*, olim *ui ectum*; eius Compoſita nunc habent *aui atum*, & *ui ectum*.
2. *Seco ſecui ſectum, frico fricui frictum* vel *fricatum*.
3. Ferè omnibus *Plico* ; ſed cùm his qnatour : *applico, explico, implico, complico*, habet *aui atum*, & *ui itum* : cum cæteris verò tantùm *aui atum*, vt *multiplico aui atum*, ſic *duplico, replico, &c.* & Neutrum, *Supplico âu. tum.*
4. *Do dedi datum*, iſtis tribus *circumdo, peſſundo, venundo*, ſed *ſatisdo* eſt Neutrum. Reliqua Compoſita Verbi *Do*, Actiua ſunt Tertiæ Coniugationis, & habent *didi ditum*, vt *reddo reddidi redditum*.

1. Actiuum *Lauo laui*, tria habent Supina, *lotum lautum lauatum.*
2. Actiuum *Poto potaui*, duo facit Supina, *potum* & *potatum.*
3. Actiuum eſt *Iuuo iuui*, cum *adiuuo adiuui adiutum.*
4. *Sto ſteti ſtatum*, eſt Neutrum: cuius Compoſita ferè omnia Neutra faciunt, *ſtiti ſtitum*, vel *ſtatum*, vt *conſto*, *inſto*, ſed *præſto præſtiti præſtitum* vel *atum*, rariùs *aui* eſt actiuum.

## De Deponentibus & Communibus.

Deponentia & Communia Primæ Coniugationis habent in Præterito *atus ſum* vel *fui*, vt *Lætor lætatus ſum* vel *fui*, *oſculor oſculatus ſum* vel *fui*.

✠ Deponentia Primæ ſunt iſta: *Aduerſor, adulor, æmulor, altercor, arbitror, argumentor, argutor, aſſentor, auerſor, auguror, auſpicor, concionor, conor, conſpicor, cunctor, digladior, exſecror, fabulor, famulor, graſſor, gratificor, grator, gratulor, hariolor, indignor, iocor, lætor, luctor, mercor, minor, opinor, peculor, depeculor, prædor, præſtolor, ratiocinor, rixor, ſtomachor, ſpatior, ſuffragor, ſuſpicor, tumultuor, vagor, vociferor*, & cætera a Subſtantiuis deriuata, vt *Bacchor, cauillor, cauſor, conuitior, epulor, heluor, imaginor, &c.*

✠ Verba Communia Coniugationis Primæ, docent Grammatici eſſe iſta: *Aucupor, abominor, aſpernor, adipiſcor, amplexor, calumnior, comitor, conſolor, contemplor, criminor, dignor, depopulor, feneror, fruſtror, furor, hortor, iaculor, interpretor, imitor, miror, miſeror, moror, meditor, odoror, ominor, oſculor, percontor, piſcor, præcor, recordor, ſector, ſpeculor, ſcrutor, teſtor, tutor, vador, veneror, venor.*

Admónitio. *Verbis Communibus in Paſſiua ſignificatione rariſſimè eſt vtendum; ſatiusq́; eſt illa Deponentium numero adijcere, atq́; etiam Deponentia eſſe dicere, quàm cum aliqua formidine Solæciſmi in loquendo vſurpare.*

De Abun-

## De Abundantibus & Defectiuis.

*In Prima Coniugatione, Verba Analoga.* 1. *Abundantia ſunt iſta, Fabrico* vel *or, iurgo* vel *or, populo* vel *or, lauo as* vel *lauo is, explico explicaui atum* vel *ui itum, & alia duplex Præteritum aut Supinum habentia.* 2. *Defectiua propriè ſunt iſta: Ouat ſicut amat, ouas ſicut amas, Fari & Dari ſimplex caret prima Perſona in Præſenti.* 3. *Media cætera omnia.* 4. *Anomala, in Prima ferè nulla.*

## CAPVT XVI.

### De Secunda Coniugatione.

Verba Secundæ Coniugationis Actiua, habent in Præterito *ui*, & in Supino *itum*, vt *Moneo monui monitum.* ſic *arceo, exerceo, habeo cohibeo, &c.*

Verba Secundæ Coniugationis Neutra, habent *ui* abſque Supino, vt *Studeo ſtudui.* ſic *pareo, albeo, rubeo, lateo.*

Omnia Verba in *Eo,* ſunt Secundæ Coniugationis, præter Actiua iſta: *Beo, creo, calceo, enucleo, laqueo, illaqueo ſcreo:* & Neutra: *Meo, nauſeo,* quæ ſunt Primæ; item Neutra, *Eo, queo, nequeo,* quæ ſunt Quartæ.

### *BEO, CEO.*

1. *Iubeo iuſſi iuſſum, ſorbeo ſorbui ſorbitum*, rarius *ſorpſi ſorptum*, cum Compoſitis eſt Actiuum.

1. *Doceo docui doctum, miſceo miſcui miſtum* vel *mixtum, mulceo mulſi mulſum* vel *ctum*, cum Compoſitis ſunt Actiua.
2. Neutra, *Iaceo, noceo, placeo,* habent *ui itum.*
3. *Luceo luxi,* cum Compoſitis Neutrum, caret Supino.
4. Actiui, *Taceo tacui tacitum,* Compoſita etiam Actiua, habent ſine Supino *ui*, vt *conticeo ui, reticeo ui, &c.*
5. *Decet uit, liceo ui,* pro *Vendor*, carent Supino.
6. *Licet uit* vel *itum eſt, libet uit* vel *itum eſt.*

## *DEO.*

1. *Rideo riſi riſum, ſuadeo ſuaſi ſuaſum, video vidi viſum,* cum Compoſitis ſunt Actiua.
2. *Ardeo arſi arſum,* cum Compoſitis eſt Neutrum.
3. *Frendeo frendi freſſum,* pro *frango* eſt Actiuum: ſed *frendeo frendui* pro *frendo,* eſt Neutrum.
4. Actiua iſta: *Mordeo momordi morſum, ſpondeo ſpopondi ſponſum, Tondeo totondi tonſum.* & Neutrum, *Pendeo pependi penſum,* licet principium Præteriti geminent, Compoſita tamen eôrum non geminant, vt *Reſpondeo, reſpondi,* non *reſpopondi.* De *Audeo, gaudeo, prandeo, pudet, tædet & piget,* vide Cap. 19. & 20.
5. *Sedeo ſedi ſeſſum,* cum Compoſitis, eſt Neutrum: præter duo Actiua, *Inſideo inſedi inſeſſum, Obſideo obſedi obſeſſum.*

## *GEO, IEO LEO.*

1. *Augeo auxi auctum, indulgeo indulſi indultum, mulgeo mulſi* vel *mulxi mulctum, tergeo terſi terſum,* cum Compoſitis ſunt Actiua.

1. Cum Compoſitis reſpuunt Supinum hæc Actiua: *Lugeo luxi, vrgeo vrſi,* & Neutra, *algeo alſi, frigeo frixi, fulgeo fulſi, turgeo turſi.*
2. *Cieo ciui citum, Vieo Vieui Vietum,* cùm ſuis ſunt Actiua.
3. Neutra, *Caleo, doleo, Valeo,* habent *ui itum.*
4. *Pleo,* inuſitatum ſuis Compoſitis Actiuis, reliquit *eui etum,* vt *Compleo eui etum, Impleo eui etum, repleo eui etum, &c.*
5. Actiua ſunt, *Leo leui letum. Deleo eui etum, releo eui etum.*
6. *Fleo fleui fletum, defleo defleui defletum.*
7. *Soleo ſolitus ſum,* Neutro Paſſiuum, olim habuit *ſolui.*
8. *Oleo olui olitum,* quondam *oleui* cum Compoſitis odoriferis, eſt Neutrum.
9. Actiua ſunt, *Aboleo aboleui abolitum,* & in ſacrificio, *adoleo ui utum,* rariſſimè *adoleui.* Sed *adoleo* de ætate eſt Neutrum, & facit *adoleui adoletum* vel *adultum,* rariſſimè *adolui.*

*MEO,*

## *MEO, NEO, QVEO.*

Cum Compoſitis eſt Actiuum, *Neo neui netum, Teneo tenui tentum: Torqueo torſi tortum,* olim *torſum,* & *timeo timui* abſque Supino.

1. Neutri *Maneo manſi manſum*, Compoſita etiam Neutra quæ amiſerunt *A*, habent *ui* ſiue Supino, vt *Emineo nui, &c.* quæ verò retinent *A*, habent *ſi ſum*, vt *Remaneo ſi ſum.*
2. *Liqueo licui*, cum Compoſitis eſt Neutrum.

## *REO, SEO, VEO.*

1. Cum Compoſitis ſunt Actiua, *Torreo ui toſtum. Cenſeo ui cenſum. Caueo caui cautum. Foueo foui fotum. Moueo moui motum. Voueo voui votum.*

1. *Careo ui itum, pareo ui itum, hæreo hæſi hæſum*, cum Compoſitis ſunt Neutra.
2. Neutrum *Mereo ui itum*, *Mœreo* verò caret vtroque.
3. *Faueo faui fautum, ſueo ſueui ſuetum,* ſunt Neutra.
4. Neutra *Paueo paui, conniueo conniui* vel *connixi, langueo langui, liueo liui, flaueo flaui, ferueo ferui* vel *ferbui*, ſed *conferueo* & *deferueo bui* tantùm carent Supino.
5. *Aueo* Neutrum, caret vtroque.

## De Deponentibus & Defectiuis.

1. Deponentia Secundæ habent *itus ſum*, vt *Vereor veritus ſum.* ſic *Liceor, polliceor.*

Excipe *Fateor faſſus ſum, confiteor confeſſus ſum, profiteor profeſſus ſum, miſereor miſertus ſum, reor ratus ſum, tueor tuitus ſum. Medeor* caret vtroque.

2. Analoga Abundantia, *Mereor* vel *o*, *prandeo prandi* vel *pranſus ſum, &c.* Defectiua, *Aue, aueto, auete, auere. Salueo, ſaluebis, ſalue, ſalueto, saluete, ſaluere.* Media, cætera præter Abundantia & Defectiua, Anomala hic nulla.

CAPVT

# CAPVT XVII.

## De Tertia Coniugatione.

*Cio. dio. gio. pio. rio. cio.*

1. Actiuorum, *Facio feci factum, iacio ieci iactum*, Compoſita etiam Actiua habent *ectum*, vt *afficio affeci affectum, abijcio abieci abiectum, &c.*

1. Obſoletorum, *Lacio* & *ſpecio*, Compoſita Actiua habent *exi ectum*, vt *Allicio exi ectum, perſpicio exi ectum.* Excipitur Actiuum, *Elicio elicui elicitum.*

2. Cum Compoſitis eſt Actiuum. *Fodio fodi foſſum*, *Cupio cupiui cupitum*, ſed *Fugio fugi fugitum*, cum ſuis potius Neutrum.

3. Actiuorum, *Capio cepi captum*, *rapio ui raptum*, Compoſita etiam Actiua habent *eptum*, vt *Accipio accepi acceptum, eripio eripui ereptum, &c.*

4. Neutra, *Sapio ui* vel *pij, deſipio ui, reſipio ui* carent Supino.

5. *Pario peperi partum* vel *paritum*, eſt Actiuum; ſed hinc *pariturus* non *parturus* venit. Compoſita Verbi *pario* Actiua, vt *Aperio, reperio*, ſunt Quartæ Coniugationis.

6. Actiui *Quatio* (*quaſſi quaſſum* inuſitata) Compoſita etiam Actiua formant *cuſſi cuſſum*, vt *Percutio ſſi ſſum, &c.*

### *VO.*

1. Cum Compoſitis eſt Actiuum, *Acuo ui ûtum, árguo ui útum, ſtatuo ui ûtum, ſtruo ſtruxi ſtructum.* Neutrum, *Fluo fluxi fluxum.*

2. *Metuo ui, reſpuo ui,* Actiua, carent Supino.

3. Verbi

3. Verbi Neutri, *Ruo rui ruitum*, Compoſita Actiua habent rui rutum, vt *Diruo dirui dirutum.*
4. *Corruo* & *Sternuo*, Neutra habent *ui utum.*
5. Neutra, *Luo, gruo, congruo, ingruo*, habent *ui* ſine Supino.
6. Verbi *Pluo plui* & olim *pluui plutum*, Supini eſt vſus in Compoſitis, vt *Complutum.*
7. *Nuo*, inuſitatum Compoſitis reliquit *ui* ſine Supino, vt *Abnuo abnui, innuo innui, renuo renui.*
8. Compoſita Actiua illorum Actiuorum *Lauo*, vt *Abluo, diluo, ſuo* vt *Conſuo, inſuo, ſpuo* vt *Conſpuo, inſpuo*, antiqui *duo* vt *induo, exuo*, habent *ui utum.*

## BO, CO.

1. Cum Compoſitis eſt Actiuum
   1. *Scribo ſcripſi ſcriptum, bibo bibi bibitum.* item *glubo glubi, lambo lambi, ſcabo ſcabi*, abſque Supino.
   2. *Dico dixi dictum, duco duxi ductum, Ico ici ictum, paſco paui paſtum, ſciſco ſciui ſcitum, vinco vici victum.*
   3. *Noſco noui notum*: ſed *Agnoſco, cognoſco, præcognoſco, recognoſco, oui itum*, amant.

Compoſita Verbi *Cubo bas are*, ſunt Neutra, & habent *m* abiecto *ui itum*, vt *Acccumbo, accubui accubitum.*
2. Neutra ſunt, *Creſco creui cretum*, cum Compoſitis, & *adoleſco adoleui adoletum* vel *ultum*, *exoleſco exoleui exoletum*, *obſoleſco obſoleui obſoletum.*
3. *Quieſco quieui etum, ſueſco eui etum, parco peperci parcitum*, vel *parſi parſum.*
4. Actiua, *Compeſco ui, diſpeſco ui, diſco didici, poſco popoſci*, & Neutra iſta: *Irrauceſco irrauſi, increbreſco increbui*, cum Compoſitis carent Supino.
5. *Gliſco* Neutrum, cum Inchoatiuis etiam Neutris caret vtroque, vt *Labeſco, diteſco, hiſco, fatiſco, &c.*
6. *Euaneſco ui, erubeſco ui, ſeneſco ui, conualeſco ui*, & ſimilia mutuantur Præterita à Primitiuis.

DO.

## *DO.*

1. Verba in *Do*, habent in Præterito *Di*, in Supino *Sum*, vt Actiua. *Mando mandi manſum*, ſic *Cudo*, *edo*, *defendo*, *offendo*, *accendo*, *prehendo*, *&c.*

1. Actiua, *Fundo fudi fuſum*, *findo fidi fiſſum*, *ſcindo ſcidi ſciſſum*, cum Compoſitis Actiuis N amiſerunt.

2. *Cado cecidi caſum*, cum Compoſitis eſt Neutrum, ſcilicet iſtis: *Occido*, *decido*, *excido*, *incido*, *&c.*

3. Per diphtongum *Cædo cecidi cæſum*, cum Compoſitis eſt Actiuum, vt *Occido*, *decido*, *excido*, *incido*, *&c.*

4. *Cedo ceßi ceſſum*, cum Compoſitis Neutrum, *S* vbique geminat, ſed *Concedo conceſſi conceſſum*, eſt Actiuum.

5. Neutri *Vado*, Compoſita habent *ſi ſum*, vt *Euado euaſi euaſum*.

6. Compoſita Verbi *Do das dare*, ſunt Actiua, & habent *didi ditum*, vt *Addo addidi additum*, *&c.* ſed *abſcondo abſcondi abſconſum*, vel *abſcondidi abſconditum* facit.

7. *Pedo pepedi peditum*, cum *Rudo rudi*, *ſtrido ſtridi*, eſt Neutrum.

8. *Sido ſidi* Neutri, Compoſita etiam Neutra habent *edi*, vt *Conſido edi*, *deſido deſedi*, *reſido reſedi*, *ſubſido ſubſedi*.

9. Cum Compoſitis eſt Actiuum, *Claudo*, *clauſi clauſum*, *diuido diuiſi diuiſum*, *lædo ſi ſum*, *ludo luſi luſum*, *rado ſi ſum*, *rodo ſi ſum*, *trudo ſi ſum*.

10. *Pando pandi panſum* vel *paſſum*, *pendo pependi* vel *pendi penſum*, *tendo tetendi tenſum*, vel *tendi tentum*, *tundo tutudi tunſum*, ſed Compoſita *tuſum*, vt *Contundo contudi contuſum*, *&c.*

GO vel

## *GO* vel *GVO.*

1. Verba in *Go* vel *Guo*, poſtulant *xi ctum*, vt Actiua, *Rego rexi rectum*, ſic *dirigo*, *cingo*, *affligo*, *exſtinguo*, *vngo*, *iungo*, *lingo*, *tingo*, *ſugo*, *&c.*

1. Cum Compoſitis ſunt Actiua, *Ago egi actum*, *frango fregi fractum*, *figo fixi fixum* vel *fictum*, *frigo frixi frixum* vel *frictum*, *mergo merſi merſum*, *tergo terſi terſum*, *ſpargo ſparſi ſparſum.*
2. Cum Compoſitis ſunt Actiua, *Tango tetigi tactum*, *lego legi lectum*, ſed *Diligo*, *intelligo*, *negligo*, amant *exi ectum.*
3. Cum Compoſitis ſunt Actiua, *Fingo finxi fictum*, *pingo pinxi pictum*, *ſtringo ſtrinxi ſtrictum*, ſed N in Supino excludunt, *&* Neutrum *Ringo rinxi rictum.*
4. *Cogo coegi coactum*, *prodigo prodegi*, *dego degi*, Actiua: & Neutrum, *Satago ſategi*, ex *ago* componuntur.
5. Actiui, *Pango pegi* vel *panxi pactum*. Compoſita etiam Actiua, *Pegi* potius, quàm *Panxi*, vt *Impingo impegi impactum*, *&c.*
6. *Pungo pupugi punctum*, cum Compoſitis eſt Actiuum: ſed *Compungo*, *diſpungo*, *expungo*, amant *punxi punctum*, *repungo* verò *repupugi*, & *repunxi repunctum.*
7. Priſcum *Pago* facit *pepigi pactum* vſitata. *Vergo verſi*, *ningo ninxi*, carent Supino.
8. Neutra, *Pergo perrexi perrectum*, *ſurgo ſurrexi ſurrectum*, ſic *inſurgo*, *conſurgo*, *&c.* ex *rego* componuntur.

## *HO, IO.*

1. Cum Compoſitis eſt Actiuum, *Traho traxi tractum*, *Veho vexi vectum*, *Meio minxi mictum.*

## *LO.*

1. Cum Compoſitis ſunt Actiua, *Alo alui alitum* vel *altum, colo colui cultum, occulo ui occultum, molo ui molitum, fallo fefelli falſum, pello pepuli pulſum, ſallo ſalli ſalſum, vello velli* vel *vulſi vulſum.*

2. Neutra, *Malo ui, nolo ui, volo ui, antecello ui, excello ui, &c.* carent Supino, & Actiuum *Pſallo pſalli, & refello refelli.*

3. Actiua ſunt, *Tollo tuli* vel *tetuli latum, extollo extuli elatum, ſuſtollo ſuſtuli ſublatum, percello perculi* vel *perculſi perculſum.*

## *MO, NO.*

1. Cum Compoſitis ſunt Actiua, *Como compſi comptum, demo dempſi demptum, promo prompſi promptum, emo emi emptum, premo preſſi preſſum, ſumo ſumpſi ſumptum, vomo vomui vomitum.*

2. *Gemo gemui gemitum, fremo fremui fremitum*, ſunt Neutra. Item, *Tremo tremui, intremo intremui*, ſine Supino.

3. *Sum fui*, cum Compoſitis eſt Neutrum, & caret Supino, ſic *Adſum adfui, poſſum potui, &c.*

4. Cum Compoſitis ſunt Activa: *Gigno genui genitum, cerno creui cretum, temno tempſi temptum, ſperno ſpreui ſpretum. Lino liui* ſeu *lini litum, ſino ſiui ſitum, deſino deſiui* vel *deſij deſitum.*

5. *Cano cecini cantum*, Compoſita ejus habent *ui entum*, vt *Accino accinui accentum.*

*PO,*

## *PO, QVO.*

1. Cum Compoſitis ſunt Actiua: *Carpo carpſi carptum, clepo clepſi cleptum, rumpo rupi ruptum, coquo coxi coctum, ſculpo ſculpſi ſculptum.*

2. Actiuum, *Linquo liqui:* & Supinum, & *N* in Præterito amiſit: Compoſita tamen ejus etiam Actiua habent *Lictum*, vt *Relinquo reliqui relictum, &c.*

3. *Repo repſi reptum, ſerpo ſerpſi ſerptum, ſtrepo ſtrepui ſtrepitum*, cum Compoſitis ſunt Neutra.

## *RO, SO.*

1. Cum Compoſitis ſunt Actiua, *Fero tuli latum, gero geſſi geſtum, quæro quæſiui quæſitum, tero triui tritum, verto verti verſum, vro vſſi vſtum.*

2. Neutri *Curro cucurri curſum*, Compoſita etiam Neutra, ſine germinatione in Præterito leguntur. Hæc tamen vtroque modo inveniuntur, *concurro, decurro, excurro, percurro, præcurro, procurro.*

3. *Furo* Neutrum caret utroque.

4. *Sero* cum Compoſitis eſt Actiuum, & cum ijſdem in plantatione facit *ſeui ſatum.* Compoſita *itum*, vt *inſero inſeui inſitum:* extra plantationem verò *ſerui ſertum.* ſic *conſero conſerui conſertum.*

5. Actiua ſunt: *Accerſo accerſui accerſitum, arceſſo arceſſiui arceſſitum, capeſſo capeſſiui* vel *capeſſij* vel *capeſſi capeſſitum, faceſſo faceſſiui* vel *faceſſij*, vel *faceſſi faceſſitum, inceſſo inceſſiui* vel *inceſſi inceſſitum, pinſo pinſui pinſum* vel *piſtum* vel *pinſitum, viſo viſi viſum, depſo ui* ſine Supino.

## *TO, VO, XO.*

1. Cum Compoſitis ſunt Actiua, *Flecto flexi xum, meto meſſui meſſum, mitto miſi miſſum, peto petiui petitum, verto verti verſum, pecto pexui* vel *pexi pexum, necto nexui* vel *nexi nexum, plecto plexui* vel *plexi plexum.*
2. *Sterto ſtertui*, ſine Supino eſt Neutrum, & *viuo vixi victum.*
3. *Siſto* Actiuum, *ſtiti ſtatum*, Neutrum verò *ſteti ſtatum*. Compoſita *ſtiti ſtitum*, vt *Reſiſto reſtiti reſtitum, &c.*
4. *Caluo calui, texo texui textum, ſoluo ſolui ſolutum, voluo volui volutum*, cum Compoſitis ſunt Actiua.

## De Deponentibus.

1. *Apiſcor aptus ſum, adipiſcor adeptus ſum, indipiſcor indeptus ſum, amplector amplexus ſum, complector complexus ſum, comminiſcor commentus ſum.*
2. *Diuertor diuerſus ſum* vel *diuerti, reuertor reuerſus ſum* vel *reuerti, expergiſcor experrectus ſum* & *expergitus ſum.*
3. *Fungor functus ſum, gradior greſſus ſum, fruor fructus ſum* vel *fruitus ſum*, vnde *fruiturus.*
4. *Iraſcor iratus ſum, labor lapſus ſum, loquor locutus ſum, morior mortuus ſum, naſcor natus ſum, nanciſcor nactus ſum, nitor nixus* vel *niſus ſum*, cum Compoſitis.
5. *Obliviſcor oblitus ſum, orior ortus ſum*, ſed in Infinitiuo *oriri* & Participio *oriturus.*
6. *Paciſcor pactus ſum, depaciſcor depactus ſum, paſcor paſtus ſum, depaſcor depaſtus ſum, patior paſſus ſum, perpetior perpeſſus ſum, proficiſcor profectus ſum.*
7. *Queror queſtus ſum, ſequor ſecutus ſum, vtor vſus ſum, vlciſcor vltus ſum, Tuor tutus ſum*, in Infinitiuo *tui, in: obcon.*
8. *Liquor, reminiſcor, ringor, veſcor*, carent Præterito.

De Ano-

## De Anomalis & Defectiuis.

Tertia Coniugatio habet Verba Analogà. Abundantia iſta; *Expergiſco or, reuerto or, lauo, pinſo, nubo,* & alia, quæ Præterito aut Supino abundant. Defectiua iſta, *Inquio* vel *inquam, Infit, Memini, Odi, Cœpi, Noui.* Media omnia alia præter Abundantia & Defectiua.

In Tertia Coniugatione Verba Anomala Abundantia nulla dantur, Defectiua ſunt iſta, *Auſim, edo, faxo, forem, cedo, quæſo.* Media ſunt tria, *Sum, Volo, fero,* cum Compoſitis.

## Coniugationes Defectiuorum.

*INQVIO* ſeu *INQVAM.*

Indicatiui:
- Præſens, *Inquam inquis inquit.* *Inquimus inquitis iunt.*
- imperf: *Inquiebam bas bat.* *Inquiebamus batis bant.*
- Perfect: *Tu inquiſti, ille inquit.*
- Futurum, *Tu inquies, ille inquiet, illi inquient.*

Imperatiui Præſens, *Tu inque.* Futurum, *Tu inquito.*

Subiunctiui Præſens, *Ille inquiat.* Participium, *Inquiens.*

*INFIT,* id eſt, *Inquit* ſeu *Incipit, mowi, práwi, pocznie, zacznie,* eſt Tertia Singularis Indicatiui.

*AVSIM,* id eſt, *Audeam, śmiałbym, ważyłbym ſie,* eſt Subiunctiui vel Potentialis Præſens aut Imperfectum, *Ego auſim, tu auſis, ille auſit, illi auſint.*

*CEDO,* id eſt, *Da* vel *dicas, poday, pokaż, powiedz,* eſt Secunda Imperatiui Singularis & Pluralis, vt *Cedo manum, cedo teſtes, cedo quid faceretis?*

*EDO* dupliciter coniugatur, primò Analogicè, *Edo edis edit, Edimus editis edunt, &c.* ſicut *Lego legis legit.* Secundò Anomalè, hoc modo.:

Indicatiui Præſens, *Ego edo, tu es, ille eſt. Vos eſtis.*

Imperatiui Præſens, *Tu es, Vos eſte.* Futurum, *Eſto tu, eſto ille. Vos eſtote.*

Subiunctiui imperfectum, *Ego Eſſem, tu eſſes, ille eſſet. Nos eſſemus, Vos eſſetis, illi eſſent.*

Infinitiui Præſens & Imperfectum, *Eſſe,* cæteris caret.

Sic Compoſita, *Ambedo, comedo, exedo. Edor* Paſſiuum primò Analogicè, ſicut *Legor.* Secundò Anomalè ſic: Indicatiui Præſens, *Ille Eſtur,* Imperatiui, *Eſtor tu, eſtor ille.*

*FAXO*, id eſt, *Faciam*, *Vczynie*, eſt Prima Singularis Futuri Indicatiui. In Subiunctiui Præſenti vel Futuro. *Ego faxim, tu faxis, ille faxit. Vos faxitis, illi faxint.*

*FOREM*, id eſt, *Eſſem*, *bythym*, eſt Subiunctiui Imperfectum. *Ego Forem, tu fores, ille foret, illi forent*, Infinitiui Futurum, *Fore*, ſic *abforem, abfore, adforem, adfore.*

*QVÆSO*, id eſt, *Rogo*, *proße*, eſt Indicatiui Præſens, *Ego quæſo, nos quæſumus*, cæteris caret.

*MEMINI.*
- Indicatiui
  - Præſens & Perf: *Memini, iſti, it. Imus, iſtis*, *&c.*
  - Imperf: & Pluſq: *Memineram, as, at Amus*, *&c.*
- Imperatiui Præſens: *Tu memento, Vos mementote.*
- Subiunctiui
  - Præſens & Perf: *Meminerim, ris, rit. Rimus*, *&c.*
  - Imperf: & Pluſq: *Meminiſſem, ſes, ſet. Semus*, *&c.*
  - Futurum, *Meminero, is. it. Meminerimus*, *&c.*
- Infinitiui Præſens, Imperf: Perf: & Pluſq: *Meminiſſe.*
- Participij Præſens, *Meminens.*

*ODI*, ita, vt *Memini*, ſed Imperatiuo & Participio *caret.*

*COEPI* Actiuum, ſic coniugatur.

- Indicatiui
  - Perf: *Cæpi iſti it. Cæpimus iſtis erunt* vel *ere.*
  - Pluſq: *Cæperam as at. Cæperamus atis ant.*
- Subiunctiui
  - Perf: *Cæperim ris rit. Cæperimus ritis rint.*
  - Pluſq: *Cæpiſſem ſes ſet. Semus ſetis ſent.*
  - Futurum, *Cæpero, is it. Imus itis int.*
- Infinitiui
  - Perfect: & Pluſq: *Cæpiſſe.*
  - Futurum, *Cæpturum eſſe.*
- Supinum, *Cæptum, cæptu.*

In Paſſiua voce,
- Indicatiui
  - Perf: *Cæptus ſum* vel *fui*, *&c.*
  - Pluſq: *Cæptus eram* vel *fueram*, *&c.*
- Subiunctiui
  - Perf: *Cæptus ſim* vel *fuerim*, *&c.*
  - Pluſq: *Cæptus eſſem* vel *fuiſſem*, *&c.*
  - Futurum, *Cæptus ero* vel *fuero*, *&c.*
- Infinitiui
  - Perf: & Pluſq: *Cæptum eſſe* vel *fuiſſe.*
  - Futurum, *Cæptum iri.*
- Participij Præteritum, *Cæptus, a, um.*

Actiuum *NOVI*, ita Coniugatur, vt *Cæpi*, ſed Præſens & Præteritum ſimul conſignificat Tempus,

CAPVT

# Capvt XVIII.

## De Quarta Coniugatione.

1. Verba Quartæ Coniugationis habent in Præterito *iui* vel *ij*, in Supino *itum*, vt Actiua iſta: *Audio audiui* vel *audij auditum.* ſic *Expedio, redimio, ſcio, ſopio, &c.* & Neutra iſta: *Singultio, eo, queo, ſcaturio, obedio, &c.*

1. Cum Compoſitis ſunt Actiua. *Amicio xi* vel *amicui amictum, ſancio ſanxi ſanctum,* vel *ſanciui ſancitum, farcio farſi fartum, fulcio fulſi fultum, haurio hauſi hauſtum, ſarcio ſarſi ſartum, ſentio ſenſi ſenſum, ſepio ſepſi ſeptum, vincio vinxi vinctum, ſepelio ſepeliui ſepultum.*

2. *Venio veni ventum,* cum Compoſitis eſt Neutrum. Excipe Actiua, *Inuenio, conuenio, circumuenio, prauenio.*

3. Actiua Compoſita Verbi *Pario,* quod eſt Tertiæ Coniugationis, ad Quartam pertinent Coniugationem, vt *Comperio comperi compertum, reperio reperi repertum,* alia verò, *rui ertum,* vt *Aperio aperui apertum, &c*

4. *Salio,* cum Compoſitis Neutrum, habet *ſalij* vel *ſalui ſaltum.* Compoſita verò *ultum,* vt *Aſsilio ui* vel *aſsilij aſſultum.*

5. *Ferio,* Actiuum habet inuſitata, *ferij feritum.* Sed Neutra, *Cæcutio, geſtio, ineptio, iui* vel *ij* tantùm.

6. *Veneo veniui* vel *venij* Neutropaſſiuum ſine Supino ex *venum* & *eo* conſtat.

## De Deponentibus.

Deponentia Quartæ Coniugationis habent in Præterito *itus ſum,* vt *Molior molitus ſum.* ſic *Largior, potior, ſortior, partior, mentior, blandior, &c.*

Excipe *Aſſentior aſſenſus ſum, experior expertus ſum, metior menſus ſum, opperior oppertus ſum, & ordior orſus* vel *orditus ſum.*

## De Anomalis & Defectiuis.

Quartæ Coniugationis Analoga. 1. Abundantia; *Aſſentio or, impertio or, ſancio, ordior.* 2. Defectiua. *Aio, deſit*, 3. Media reliqua omnia, exceptis Abundantibus & Defectiuis.

In Quarta Anomala Abundantia nulla ſunt, ſicut nec Defectiua. Media ſunt tria, *Eo, queo, fio*, cum Compoſitis.

*AIO*, id eſt, *Aſſero, mowie, twierdze, powiádam.* ſic coniugatur.

Indicatiui Præſens, *Aio ais ait*. Plural: *illi aiunt.*
Imperf: *Aiebam aiebas aiebat, aiebamus batis bant.*
Perfectum, *Tu aiſti, Vos aiſtis.*
Imperatiui Præſens, *Tu ai.*
Subiunctivi Præſens, *Tu aias, ille aiat, nos aiamus, illi aiant,*
Participij Præſens, *Aiens.*

*DEFIT*, id eſt, *Deeſt, defiet, defiat, defieri*, cæteris caret.

# CAPVT XIX.

## De Verborum Neutrorum Diuiſione.

1. Verbum Neutrum eſt triplex: Neutrumpaſſiuum, Neutropaſſiuum, & Neutrum perfectum ſeu abſolutum.
2. Verbum Neutrumpaſſiuū eſt, quod licet deſinat in *O*, tamen Paſſiuam habet Significationem. Sunt autem Verba Neutrapaſſiua quatuor: *Fio*, id eſt, *efficior. Liceo*, id eſt, *æſtimor*, *Vapulo*, id eſt, *Verberor. Veneo*, id eſt, *Vendor.*
3. Neutropaſſiuum eſt, quod licet exeat in O, tamen Præteritum inſtar Verbi Paſſiui format, vt *Audeo auſus ſum, gaudeo gauiſus ſum, fido fiſus ſum, fio factus ſum.* Item iſta duplex Præteritum habentia: *Cœno cœnaui* vel *cœnatus ſum, iuro aui* vel *atus ſum, prandeo prandi* vel *pranſus ſum, placeo placui* vel *placitus ſum, ſoleo ui* vel *itus ſum, nubo nupſi* vel *nuptus ſum, ſueo ſueui* vel *ſuetus ſum.* His adde imperſonalia: *Miſeret miſertum eſt, tædet pertæſum eſt.* Item iſta: *Libet, licet, piget, placet, pudet,* ratione Præteriti Secundi, *itum eſt.*
4. Verba Neutra alia, præter iſta enumerata & horum Compoſita, vocanda ſunt Perfecta ſeu abſoluta, vt *Faueo, Sum, eo, ſtudeo.*

CAPVT

# CAPVT XX.

## De Verbis Imperſonalibus.

1. Verbum Imperſonale
- 1. Eſt duplex, Actiuæ & Paſſiuæ vocis.
- 2. Actiuæ vocis eſt, quod deſinit in *T*, vt *Pudet*, *pluit*, *intereſt*.
- 3. Paſſiuæ vocis eſt, quod deſinit in *Tur*, vt *Statur*, *egetur*, *itur*.

1. Imperſonalia in *At* vel *atur*, ſunt Primæ Coniugationis, vt *Conſtat*, *iuuat*, *reſtat*, *præſtat*, *vacat*, *tonat*, *gelat*, *rorat*, *ſtatur*, *pugnatur*, *potatur*, *dimicatur*, *&c.*

2. Imperſonalia in *Et* vel *etur*, ſunt Secundæ Coniugationis: vt *Decet*, *oportet*, *placet*, *pertinet*, *tædet*, *&c.* *Fletur*, *tacetur*, *&c.*

3. Imperſonalia in *It* vel *itur*, dum Infinitiuus exit in *ere* vel *i*, ſunt Tertiæ, vt *Accidit*, *contigit*, *pluit*, *ſufficit*, *luceſcit*, *viuitur*, *curritur*.

4. Imperſonalia in *It* vel *itur*, dum Infinitiuus exit in *ire* vel *iri*, ſunt Quartæ, vt *Expedit*, *conuenit*, *&c.* *itur*, *dormitur*.

5. Præteritum vocis Actiuæ Imperſonalium fit iuxta Regulas Perſonalium, vt *Iuuat iuuit*, *fulget fulſit*, *&c.*

6. Paſſiuæ vocis Imperſonalium Præteritum, ex Supino Perſonalium, & Verbi Subſtantiui *Sum*, Tertia Singulari ſuppletur, vt *itum eſt*, *ventum erat* vel *fuerat*, *&c.*

7. Duplex Præteritum habent iſta Imperſonalia: *Licet uit* vel *itum eſt*, *libet uit* vel *itum eſt*, *pudet uit* vel *itum eſt*, *Miſeret miſertum eſt* vel *miſeritum eſt*, ſed *tædet pertæſum eſt* tantùm.

8. Nullum habet Præteritum, *Liquet* cum Inchoatiuis Tertiæ in *ſcit*, vt *Luceſcit*, *veſperaſcit*, *dieſcit*.

9. Imperſonalia vtriuſque vocis, ſolum coniugantur per Tertias Perſonas Singulares, & carent, *imperatiuo Gerundijs*, *Supinis*, *&* *Participijs*: item plurima Actiuæ vocis carent Futuro Infinitiui. *pænitens* à *pænitet* venit.

# CAPVT XXI.

# DE PARTICIPIO.

Quid eſt PARTICIPIUM? *Eſt vox flexibilis, Accidentia Nominis & Verbi Participans:* *vt* Legens, dans.

Quot ſunt in Participio

1. Accidentia? *Septem:* Figura, Tempus, Significatio, Genus, Declinatio, Numerus, Caſus.
2. Figuræ? *Tres:* Simplex, vt *Volans.* Compoſita, vt *Euolans.* Decompoſita, vt *Supereuolans.*
3. Tempora? *Tria:* Præſens, Præteritum, & Futurum.
4. Significationes? *Quatuor:* Actiua, Paſſiua, Neutralis & Communis.
5. Genera? *Quatuor:* Maſculinum, Fæmininum, Neutrum, Omne.
6. Declinationes? *Tres:* Prima, Secunda, Tertia.
7. Numeri? *Duo:* Singularis, & Pluralis.
8. Caſus? *Sex:* Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accuſatiuus, Vocatiuus, Ablatiuus.

1. Præſentis Temporis Participia. 1. Exeunt in *Ans* vel *Ens,* vt *Amans, docens.* 2. Significationis ſunt; alia Actiuæ, vt *Legens,* alia Paſſiuæ, vt *Vapulans;* alia Neutralis vt *Sedens,* 3. Veniunt à Verbo Actiuo, Neutro, Deponenti, & Communi. 4. Formantur à Prima Perſona vera vel ficta Imperfecti Indicatiui, mutando *Bam* in *Ns,* vt ab *Amabam,* fit *amans.*

2. Præteriti Temporis Participia deſinunt in *Tus, Sus, Xus,* 2. Significationis ſunt, alia Paſſiuæ, ut *Lectus,* alia Actiuæ, vt *Vſus,* alia Communis, vt *Oſculatus.* 3. Veniunt à Verbo Paſſiuo, Deponenti, Communi, & Neutropaſſiuo. 4. Formantur à Supino, mutato *M* in *S,* vt à *Lectum,* fit *Lectus.*

3. Futuri Temporis Participio finiuntur, alia in *Rus* vt *Lecturus:* alia in *Dus,* vt *Legendus.*

Parti-

Participia in

1. *Rus*. 1. alia ſunt Significationis Actiuæ, vt *Docturus*, alia Paſſiuæ, vt *Vapulaturus*, alia Neutralis, vt *Iturus*. 2. Veniunt ab Actiuo, Neutro, Deponenti, & Communi Verbo. 3. Formantur à Supino, mutato *M* in *Rus*, vt à *Lectum*, fit *Lecturus*.
2. *Dus*. Omnia ſunt Significationis Paſſiuæ. 2. Veniunt à Paſſiuo, Communi, & à Deponenti olim Communi, immò & à Neutris quibuſdam. 3. Formantur à Genitiuo Participij Præſentis Temporis, mutando *Tis* in *Dus*, vt ab *Amans amantis*, fit *amandus*.
3. *Vs*. Omnia ſunt trium Terminationum, ſub Prima Terminatione ſunt Generis Maſculini, Declinationis Secundæ; ſub Secunda Feminini Primæ, ſub Tertia Neutri Secundæ: vt *Lectus, lecta, lectum*.
4. *Ns*. Omnia ſunt vnius Terminationis Generis Omnis, Tertiæ Declinationis, vt *Amans Legens*.

## CAPVT XXII.

# DE ADVERBIO.

Quid eſt Adverbium? *Eſt vox inflexibilis, quæ adiuncta Verbo, aut Nomini, aut Participio, aut alteri Aduerbio, eius ſignificationem determinat, vt* Benè, malè, citò, &c.

Annotátio. *Accidentia Aduerbij alij Grammatici docent eſſe duo, Figuram & Speciem, alij quatuor: Figuram, Speciem, Significationem & Comparationem. Figuræ Aduerbiorum ſunt tres: Simplex, vt* faciliter. *Compoſita, vt* difficiliter. *Decompoſita, vt* perdifficiliter. *Species duæ: Primitiua, vt* ita, nunc. *Deriuatiua, vt* breuiter, doctè, &c. *Gradus Comparationis tres: Poſitiuus, vt* doctè, *Comparatiuus, vt* doctiùs, *Superlatiuus, vt* doctiſſimè. *Significationes Aduerbiorum ſunt plurimæ, ſcilicet, Temporis, Ordinis, Numeri, Quantitatis, Qualitatis, Iurandi, Vocandi, Intendendi, Remittendi, &c. Quas quidem Significationes, ideò hic expreſſè non ponimus, quia non putamus illas eſſe dignas, in quibus aureum ætatis ſuæ tempus, conſumant Tyrones: præcipuè quum & exiguum admodum aut penitus nullum adferant fructum, & plurima alia iſtis vtiliora & magis neceſſaria ſuperſint Iuuenibus ediſcenda.*

CAPVT

# CAPVT XXIII.

# DE CONIUNCTIONE.

Qui eſt CONIVNCTIO? *Eſt vox inflexibilis, coniungens vel etiam diſiungens voces, aut ſententias, vt* Et, aut, quocirca, &c.

Quæ voces ſunt Coniunctionis Partis? *Iſtæ omnes.*

Primò, Ordinis Præpoſitiui: *Ac, an, at, atque, atqui, aſt, aut, &, nam, namque, num, nec, neque, quare, quamobrem quapropter, quamquam, quocirca, ſed, ſeu, ſiue, vel vtrum.*

Secundò Ordinis Poſtpoſitiui: *Autem, enim, quidem, quoque, verò, que, ve, ne.*

Tertiò, Ordinis Communis: *Alioqui, alioquin, dum, duntaxat, enimuerò, equidem, ergo, etiam, etiamſi, iccircò, idcircò, ideò, igitur, itaque, licet, modò, nempè, ni, niſi, porrò, propterea, quatenus, quia, quò, quòd, quoniam, ſaltem, ſi, tamen, tametſi, tantummodo, verum, verumtamen, videlicet, vt, vtique.*

Annotátio. *Coniunctio habet Accidentia tria: Figuram, Ordinem, & Significationem.*

# CAPVT XXIV.

# DE PRÆPOSITIONE.

Quid eſt PRÆPOSITIO? *Eſt vox quæ álijs Oratiónis Partibus ferè præpónitur, vt* Ad, in, pro. &c.

Quæ voces ſunt Præpoſitiónis Partis?
*Iſtæ omnes:*

Primò. Accuſatiuum regéntes: *Ad, apud, ante, cis, circa, circum, circiter, citra, extra, infra, inter, intra, iuxta, ob, penes, per, pone, poſt, præter, propè, propter, ſecundùm, ſupra, ſecus, trans, vltra;* Item, *contra, erga, aduerſus & aduerſum.*

Secúndò, Ablatiuo gaudéntes: *Abſq; cum, coram, de, palam, præ, pro, ſine.*

Tertiò: *A* & *E*. Quartò: *Ab* & *Ex*.

Quintò: *Abs, tenus, verſus.*

Sextò: *In, ſub, ſuper,* & *ſubter.*

Anno-

Annotátio. 1. *Præpoſitioni, alij tribuunt Accidens vnum ſcilicet Caſum: alij duo, Caſum & Compoſitionem, vel Figuram & Ordinem: alij tria, Formam, Figuram & Significationem ſeu Figuram, Speciem & Ordinem.*

2. *Præpoſitiones dupliciter præponuntur, primò per Appoſitionem vt ad me, præ furore, &c. Secundò per Compoſitionem, vt addo, præſto, interpono, &c.*

## CAPVT XXV.
# DE INTERIECTIONE.

Quid eſt INTERIECTIO? *Eſt vox indeclinábilis, affectum ánimi ſignificans: vt* Ah, heu, io, ha, ha, ha.

Quæ vocábula ſunt Interiectiónis Partis? *Iſta omnia:*

Ah, *á ách.*
Aha, *ách.*
Atat, *och iuści, báwey.*
Au, *au, to to to.*
Euge, *á, hey.*
Eia, *nuż, nuże.*
Eho, *á iuż, ſłyſz.*
Ehódum, *ſłuchay-iedno, chodź ſám.*
Ha, ha, *chá, chá, chá.*
Hei, *hey nieſtetyż*
Hem, *he, czegoż.*
Hoſanna, *viuat, viuat.*
Heu, *o nieſtetyż.*
Heu, heu, *o świećie.*

Heus, *hey ſłyſzyſz.*
Hui, *wygrałeś, to to to.*
Io, *hey, hoy.*
O, *o, och och.*
Oh, *och, iużci po mnie.*
Ohe, *o ho ho, doſyćże też iuż.*
O ſi, *day Boże.*
O vtinam, *boday.*
Phy, *pf, pfá, pfe.*
Prô, *przebog, Mátko Boża.*
Papæ! *czáśie Páńſki, báwey.*
St, *cyt, milcz.*
Vah, *otoż maſz, otoż tobie.*
Væ, *biádá,* &c.

Annotátio. *Interiectioni duo tribuuntur Accidentia, Figura & Significatio, vel etiam vnum ſcilicet Significatio. Sunt autem variæ Interiectionum Significationes, vt Admirantis, Lætantis, Dolentis, Irridentis, &c.*

CORO-

# CORONIS LIBRI II.

Deſcriptio Grammaticæ in communi ſumptæ. *Grammatica eſt loquendi, ſcribendi, pronuntiandi, & bonos Authores interpretandi ſcientia. Eſtq; duplex : Hiſtorica ſeu Exegetica, & Methodica. Hiſtorica eſt, quæ varios ſcriptores nimirum Oratores, Hiſtoricos, Poëtas, Philoſophos, Iuriſconſultos, Medicos, &c. interpretari docet. Atq; hæc multarum rerum cognitionem requirit, neq; ad præcepta facilè revocari poteſt, & nonniſi Grammatices Doctori conuenire, illiuſq; propria eſſe videtur. Methodica verò eſt, quæ benè loquendi, ſcribendi, & pronunciandi continet præcepta : & de hac nos, non verò de prima, in his quatuor Libris Inſtitutionem.*

*Mutarum Semiuocalium & Liquidarum, iccirco nullam hoc loco facimus mentionem, quia illarum nullum in Etymologia vſum eſſe videmus.*

*Vocales dicuntur, quia ſingulæ abſq; alijs literis optimè poſſunt proferri; Conſonantes verò, quia, vt perfectè proferantur, ſemper ſibi aliquam vocalem adiungunt. Vocales ordine quodam è gutture in os ipſum proferendo, progrediuntur, vt* a, e, i, o, u, *Diphthongus ſunt duæ Vocales firmæ vnam ſyllabam componentes, quæ duos ſonos ſolutæ efficiunt. His quatuor adduntur adhuc iſtæ : duæ :* ei, & yi, *vt Hey, Harpyia,* æ, & œ, *ita proferuntur ſicut ſimplex* ę, *vt Pœnæ,* ſicut *pene.*

*Partes Orationis aliter dicuntur Dictionum diſcrimina, vel Genera, vel Species, quas definiendo, vocem pro Genere, alias verò particulas pro Differentia poſuimus. Cæterum ſic quoq; aptè poſſunt definiri, vt Nomen eſt Pars Orationis, ad quam reducuntur & reuocantur illæ voces, quæ per Caſus declinantur, & rem ſine tempore ſignificant, vt Deus, Homo. Verbum eſt Pars Orationis, ad quam referuntur, & in qua continentur, & quaſi habitant illa vocabula, quæ per Modos, Tempora, Numeros, & Perſonas coniugantur, & ſic de cæteris. Inter Partes Orationis duæ ſunt præcipuæ, .ſ. Nomen & Verbum, ideoq; etiam fuſius de ipſis agunt Grammatici, tanquam de ijs, ſine quibus ſtare ſermo non poteſt. Ramus duas Partes Orationis tantùm ſtatuit, Nomen & Verbum, & ad has duas, reliquas omnes reducit.*

De va-

## De varijs Nominis Diuiſionibus.

*Nomen, quemadmodum & Verbum variꝫ habet Diuiſiones aliunde, atq; aliunde petitas, neque verò ita poteſt diuidi, vt apud Logicos in arbore Porphiriana diuiditur Subſtantia. Porrò Diuiſiones eius ſeu Genera ſunt iſta:*

- **NOMEN.**
  - *ratione*
    - *Syntaxis, eſt duplex: Subſtantiuum, & Adiectiuum.*
    - *Species, eſt duplex. Primitiuum & Deriuatiuum.* B
    - *Figuræ, eſt triplex: Simplex, Compoſitum, & Decompoſitū.*
    - *Declinationis, duplex: Analogum, & Heteroclitum.*
    - *Terminationis, triplex: vnius Terminationis, duarum & trium.*
    - *Intenſionis, Comparabile, & Incomparabile.*
    - *Linguæ, Græcum, Latinum, Hæbraicum, &c.*
    - *Vſus, Obſoletum. vſitatum, rarum.*
    - *Vtentium, Poëticum, Oratorium, Hiſtoricum, Commune.*
    - *Significationis, Mononymum, Synonymum, Homonymum.*
  - *Adiectiuum*
    - *Proprium,*
    - *Commune,* —
      - *Ambiguum,*
      - *Partitiuum,*
      - *Redditiuum,*
      - *Interrogatiuum,*
      - *Reſponſiuum,*
        - *Quantitatis.*
        - *Qualitatis.*
        - *Numeralia.*
        - *Ordinalia.*
        - *Multiplicatiua.*
        - *Diſtributiua.*
  - *Subſtantiuum*
    - *Appellatiuum,*
      - *Collectiuum, & Simplex,*
    - *Proprium,* ✠✠
  - ✠✠ *Proprium*
    - *Deorum & Dearum Gentilium,*
    - *Angelorum & Hominum,* —
    - *Animalium & Beſtiarum,*
    - *Stellarum & Menſium,*
      - *Prænomen.*
      - *Nomen.*
      - *Cognomen.*
      - *Agnomen.*
    - *Ventorum & Fluuiorum,* —
    - *Fontium & Locorum,*
      - *Inſularum.*
      - *Regionum.*
      - *Vrbium.*
      - *Montium.*
  - B. *Deriuatiuum*
    - *Denominatiuum,*
      - *1. Patronymicum,*
      - *2. Gentile,*
      - *3. Imitatiuum,*
      - *4. Diminutiuum.*
      - *5. Poſſeſſiuum,*
      - *6. Materiale.*
      - *7. Locale.*
    - *Verbale,*
    - *Participiale,*
    - *Aduerbiale.*

Primi-

Primitiuum *eſt, quod à nullo alio deriuatur, vt aurum, lignum. Angelus.* Deriuatiuum *eſt, quod ab aliquo alio oritur: vt aureus, ligneus, Angelicus.* Simplex *Nomen eſt dictio vna ex alijs vocibus non compoſita, vt plicabilis.* Compoſitum *eſt, vna dictio ex duabus vocibus compoſita, vt explicabilis.* Decompoſitum *eſt, vna dictio ex tribus vocibus compoſita, vt inexplicabilis,* Analogum *eſt; quod cum alijs ſimilem habet Declinationem, atque cætera Accidentia, vt Via, menſa, &c.* Mononymum *eſt, cui vni vnum correſpondet ſignificatum, vt Homo, arbor,* Synonymum *eſt, quod cum alijs diverſis vocabulis vnam eandemq; rem ſignificat, vt mucro, enſis, gladius, &c.* Homonymum *eſt, cui vni plura correſpondent ſignificata. vt canis, lupus. taurus, &c.* Adiectiuum proprium *eſt, quod affectionem vni Indiuiduo propriam ſignificat; vt Quirinus, Gradiuus, Cracouienſis, &c.* Adiectiuum Commune *eſt; quod affectionem multis communem ſignificat, vt albus, longus, &c.* Ambiguum *eſt, quod & Subſtantiuum & Adiectiuum eſſe poteſt, vt Amicus, Rex, ſenex, dives, Princeps, Subſtantiuum tunc, quando illi additur Adiectiuum, vt Amicus meus, Rex potens, Adiectiuum verò tunc, quando ipſum additur alicui Subſtantiuo, vt Regnum, Comes, populus, Rex, Vir, Princeps.*

Partitiua: *Aliquis, alius, alter, alteruter, nemo, neuter, nullus, plerique, quidam, quis, quicunque, quilibet, quiſquis, quiſpiam, quiſquam, quiſque, quotus, ſolus, vllus, vnus, vnuſquiſque, vter, vterque, vtercunque, vterlibet, vteruis, omnis, cunctus, multus, &c. Eſt autem Nomen Partitiuum illud, quod aut multa ſigillatim, aut vnum è multis ſignificat.*

Redditiua: *vt tantus, quantus, talis, qualis, tot, quot, &c.* Reſponſiuum Qualitatis *eſt, per quod reſpondemus ad Qualis, vt albus, doctus: &c.* Quantitatis, *vt Magnus, longus, bicubitalis, &c.* Numeralia Cardinalia, *vt vnum, duo tria, quatuor, quinque, ſex. &c.*

Ordinalia, *vt Primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, &c.* Diſtributiua, *vt Singuli. bini, terni, quaterni, quini, ſeni, ſeptení, noueni, deni, viceni, centeni. duceni, milleni, &c.*

Multiplicatiua, *vt Simplus, duplus, triplus, quadruplus, quintuplus, ſexduplus, ſeptuplus, centuplus, noncuplus, decuplus, &c.*

Colle-

Collectiuum *eſt, quod in Singulari multitudinem ſignificat, vt Agmen, cætus, cohors, concio, congregatio, exercitus, gens, populus, grex, plebs, turba, &c.* Simplex *eſt, quod non eſt Collectiuum, vt Homo, leo, arbor, &c.*

Proprium Nomen Hominum *eſt quadruplex: Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen, vt Marcus, Tullius, Cicero, Parens Patriæ, Publius, Cornelius, Scipio, Africanus*

Prænomen *ſignificat cuiuſq; Proprium Nomen, quod modo in Baptiſmate ſolet conferri, apud Romanos verò in Luſtricis diebus dabatur; Hoc diſtinguit eiuſdem Familiæ Perſonas, vt* v. g. *Fratres.*

Nomen *eſt illa Denominatio, quæ vel ex Confirmatione Epiſcopali vel Prænomine Parentis, vel ex inſigni (quod vulgo Stemma dicitur) vel etiam à primo talis Inſignis Authore habetur, hoc ponit differentiam inter eos, qui diuerſis gaudent Inſignibus.*

Cognomen *eſt illud nomen, quod toti Familiæ ex virtute, vel vitio, vel aliquo euentu imponitur, & diſcernit vnius eiuſdemq; Inſignis ſeu Stemmatis Familias.*

Agnomen *ſignificat illud Nomen; quod ſibi quiſq; virtute vel vitio, vel certo genere vitæ, vel aliâ ratione acquirit, vt Cardinalis, Epiſcopus, Palatinus, Caſtellanus, &c.*

Denominatiuum *eſt, quod à voce quæ eſt Nominis Partis deriuatur, vt Aureus, terrenus, fortitudo, multitudo, ignauia, pietas, vinolentus à vino, ſaluber à ſalus, ouile ab ouis, &c.*

Verbale *eſt, quod à voce, quæ eſt Verbi Partis, naſcitur, vt Lectio, auditor, docilis, iudicium, cubile, vltrix, arx ab arceo, periculum à pereo, &c.*

Participalia, *vt Sapiens, Conſequens, Antecedens, Negligens, &c.*

Aduerbialia, *quæ ab Aduerbijs deducuntur, vt hodiernus, heſternus, craſtinus, &c.*

Patronymicum *eſt; quod ſignificat Filium vel Filiam; Nepotem vel Neptem, Incolam vel Succeſſorem ſui Primitiui, vt Lechiades, Iagelloniades, Priamides, Maiades, &c.*

Gentile ſeu patrium *eſt, quod ſignificat gentem vel Patriam, vt Polonus, Lithuanus, Italus, Craconienſis, Vilnenſis, &c.*

Imitatiuum *eſt, quod imitationem ſignificat, vt Chriſtianus, Benedictinus, Dominicanus vel Dominicinus, Franciſcanus vel Franciſcinus, Bernardinus, Scotiſta, Thomiſta, Paraſitaſter, Philoſophaſter, &c.*

Diminutiuum, *quod ſui Primitiui diminutionem ſignificat*, vt *Homuncio, lapillus, puſio, puellus, Filiolus, floſculus, fraterculus, ſororcula, tenellus, paruulus, ingeniolum, piſciculus, pauperculus, miſellus, &c.*

Poſſeſſiuum, *quod ſignificat Poſſeſſionem*, vt *Herculeus, Homericus, Cæſareus, Regius, herilis, humanus, &c.*

Materialia, vt *Argenteus, ferreus, ligneus, criſtallinus, colurnus, &c.*

Localia, vt *Officina, tonſtrina, Auditorium, oliuetum, buſtum, &c.*

## De Accidentibus Nominis.

*Accidentia ſeu Attributa Nominis, & aliarum Partium ferè omnium ab alijs plura, ab alijs verò pauciora aſſignantur.*

Figura, *eſt Accidens, oſtendens quæ ſit Simplex, quæ Compoſita, & quæ Decompoſita Dictio, Dictio Simplex eſt, quæ ex nullo componitur*, vt *ductio. Compoſita quæ ex duabus vocibus coaleſcit*, vt *inductio. Decompoſita, quæ ex tribus componitur*, ut *ſuperinductio.*

Species, *eſt Accidens, vocis originem declarans, & Primitiuam Dictionem à Deriuatiua diſtinguens. Eſtq; duplex Primitiua, quæ docet vocem à nullo alio formari, & Deriuatiua, quæ oſtendit vocem ab aliquo alio vocabulo deduci.*

Genus *in Nomine, eſt quædam diſcretio vocabulorum, diſcernendo ſexus & Syntaxi Adiectiuorum maximè conueniens. Sex Generibus Nominum additur adhuc Epicœnum, ſed cognitio Generis Epicœni, præſupponit cognitionem Generis Maſculini vel Feminini, neque ipſa ſola ſufficit*, vt v. g. *vbi ſciueris hanc vocem Aquila eſſe Generis Feminini, tum demum cogites, an ſub vno Articulo ſignificet marem & feminam. Genere autem Epicœno non vtimur, niſi in diſtinguendo ſexu, idq; tantùm auium, piſcium, repentium & inſectorum, ſcilicet tali ratione, Mas aquila, femina aquila, item mas paſſer, femina paſſer, Vox autem ipſa ſemper erit aut Maſculini, aut Feminini Generis.*

Declinatio *eſt Accidens, quod Dictiones per Numeros & Caſus inflectere docet. Sunt autem quinque Nominum Declinationes. Prima eſt, cuius Genitiuus Singularis exit in* æ *vel* es, *& Pluralis in* arum, *Secunda, cuius Genitiuus Singularis deſinit in* i, *& Pluralis in* orum, *&c.*

Numerus

Numerus *eſt Accidens, quod vocem Singularem à Plurali diſtinguit, Nomina Collectiua ſunt voce Singularia ſed intellectu Pluralia,* vt *Turba, cohors, &c.* Hæc verò *Venetiæ, nuptiæ, &c. ſunt voce Pluralia & Significatione Singularia.*

Caſus *eſt Terminationis vocis in declinando variatio. Caſus ſunt duplices: Recti & Obliqui. Recti ſunt duo: Nominatiuus & Vocatiuus. Obliqui quatuor: Genitiuus, Datiuus, Accuſatiuus & Ablatiuus. Genitiuus aliter, Gignendi ſeu Patrius, ſeu Interrogandi vocatur. Ablatiuus aliter vocatur Caſus Latinus, quia Græci carent Ablatino.*

Comparatio *eſt Adiectiui comparabilis, per Gradus Comparationis ductio.*

## De Accidentibus Verbi.

Genus *in Verbo, eſt ipſa Verbi Significatio ſeu Accidens, quod Significationem Verbi per Terminationem oſtendit.*

Quid eſt Coniugatio?
1. *Eſt ratio coniugandi Verba per Modos, Tempora, Numeros, & Perſonas.*
2. Analoga? *Eſt Communis & Generalis Analogorum Verborum coniugandorum forma.*
3. Anomala? *Eſt Singularis certi alicuius Verbi Anomali coniugandi ratio, Communi & Generali forma diſſimilis.*

Modus *eſt Accidens, quo voluntas & affectio animi per vocem conſignificata declaratur. Modi ſunt duplices, Finiti & Infiniti.*

Tempus *eſt Accidens, quod vel Præſentem, vel Præteritam, vel Futuram actionem, aut paſſionem ſignificat.*

Perſona *eſt Accidens, quod ſtatum ſeu conditionem, ſeu dignitatem vocum oſtendit.*

*Verbum ratione Speciei, aliud eſt Primitiuum, vt Rogo: aliud Deriuatiuum, vt Rogito, &c. Verbum Deriuatiuum eſt quintuplex: Deſideratiuum, Frequentatiuum, Inchoatiuum, Imitatiuum, & Diminutiuum.*

Deſideratiuum *ſeu* Meditatiuum *eſt, quod affectum & deſiderium ad rem aliquam ſignificat, vt Cœnaturio, eſurio. Formatur verò à Supino mutato* m *in* rio, *vt à partum, ſit parturio, à nuptum, ſit nupturio,*

Frequentatiuum *ſeu* Iteratiuum *eſt, quod frequentem actionem ſignificat*, vt *Clamito, curſito, dictito. nato, ſalto, &c.* id eſt, *frequenter clamo, curro, dico, no, ſalio. Frequentatiua Verba Terminantur aut in* To, *aut in* So, *aut in* Xo, *formanturq́; à Supino, mutato aliquando* atum *in* ito, *vt à Volatum fit Vlito à rogatum fit rogito, ab imperatum imperito, &c. aliquando* um *in* ito, *vt à lectum fit lectito, ab hæſum fit hæſito, &c. aliquando etiam* um *in* o, *vt à mergo merſi merſum, fit merſo, à necto nexum fit nexo, à curro curſum fit curſo, &c. Secundo à Tertia Perſona Indicatiui Præſentis, addita litera* o, *vt ab Ago, agis agit, fit agito, à quæro quæris quærit, fit quærito, a fugio fugis fugit, fit fugito.* Hæc quoque Verba, *ſector, amplexor, pollicitor, &c.* ſunt Frequentatiua.

Inchoatiuum *ſeu* Inceptiuum *eſt, quod rem inchoatam ſeu inceptam ſignificat, & deſinit in* ſco, *vt Caleſco,* id eſt, *incipio calere; naſcitur autem tale Verbum, aut à Secunda Perſona Singulari Præſentis Indicatiui, addito* co, *vt à Labo, labas, fit labaſco;* ſic *frigeſco, tepeſco, albeſco, horreſco, &c. aut etiam aliunde,* vt *diteſco, repueraſco, hiſco, &c.*

Imitatiuum *eſt, quod imitationem ſignificat, & deſinit in* ſſo, zo, or, *vt Patriſſo, Platonizo bacchor. cornicor, &c.*

Diminutiuum *eſt, quod ſui Primitiui diminutionem ſignificat deſinitq́; in* llo *vel* ico, *vt Sorbillo, vellico, fodico, &c.*

*Verba Inchoatiua per tertiam; Deſideratiua per Quartam; Frequentatiua verò, Imitatiua & Diminutiua per primam ſunt inflectenda Coniugationem. Cætera hic dicenda, quæ nunc conſultò prætermiſſimus, ſi opus eſſe videbuntur, aliàs apponemus.*

*Finis Libri Secundi.*

GRAM-

# GRAMMATICARVM INSTITVTIONVM.

# LIBER III.

## DE

## Syntaxi, ſeu de recta Partium Orationis inter ſe Compoſitione.

*Ex quo præter ipſa Præcepta, quæ ſunt per Tabulas tradita, lectiſſimiſq; Sententijs illuſtrata, & per Capita, Numeros, atq; Regulas diviſa; Reciprocorum vſum, Figuras Syntaxeos, Futuri Infiniti ſupplendi rationes, & nonnullarum Regularum inter ſe affinitatem facilè Tyrones cognoſcent.*

SYNTAXIS.

1. Eſt pars Grammaticæ, quæ docet duas vel plures voces inter ſe rectè coniungere; id eſt, iuxta *Genus*, *Caſum*, *Modum*, *Tempus*, *Numerum*, *Perſonam*, & *GradumComparationis* conſtruere, v. g. non dicere, *mater meus*, ſed *mater mea*, non dicere *adiuuo tibi*, ſed *adiuuo te*, *&c.*

2. Ratione vocum coniungendarum eſt duplex: *Simplex*, & *Figurata*.

3. Simplex eſt, quæ docet voces coniungere, vt nihil deſit, nihil redundet, nihil ſuo loco abſit, & nihil immutetur, aliter vocatur *Iuſta*, *Plana*, *&* *Plena*.

4. Figurata eſt, quæ ita voces coniungit, ut aliquid aut deſit, aut redundet, aut ſuo loco abſit, aut immutetur.

5. In ſeptem Accidentibus conſiſtit, in *Genere*, *Modo*, *Tempore*, *Numero*, *Perſona*, & *Gradu Comparationis*. Quibus addatur *Ordo* & *delectus*. *Ordo* docet non dicere, *enim ego*, ſed *ego enim*: non dicere, *volo nam ſcribere*, ſed *nam volo ſcribere*. *Delectus* docet, non dicere, *Quis veſtri*, ſed *Quis veſtrûm*: non dicere, *à igne*, ſed *ab igne*, *&c.* vide Annot: 1.

6. Ratione Accidentium in quibus conſiſtit, & circa quæ verſatur, eſt duplex .ſ. Conuenientiæ *&* Regiminis.

7. Conuenientiæ eſt, quando vox, quæ regitur, Dictioni Regenti in præſcriptis Accidentibus aſſimilatur: quando ſcilicet Regens dictio, & præſcribit Accidentia, & ſeruat eadem, vt *Menſa alba*, hic *Menſa* præſcribit Accidentia huic voci *alba*: nempè *Genus Femininum*, *Numerum Singularem*, *Caſum Nominatiuum*, quæ tria Accidentia ipſamet vox *Menſa* habet.

8. Regiminis eſt, quando Dictio, quæ regitur in præſcriptis Accidentibus *Regenti* per ſe non aſſimilatur: quando ſcilicet *Regens* præſcribit Accidentia, quæ ipſa nec ſeruat nec habet, vt *Liber Pauli*. Hic vox *Liber* præſcribit *Caſum Genitiuum*, huic voci *Pauli*, ipſa tamen vox *Liber*, non eſt *Caſus Genitiui*, ſic *Væ tibi*, *&c.*

SYNTA-

SYNTAXIS.

1. Penes, *Genus*, *Numerum*, & *Perſonam*, eſt *Conuenientiæ*; penes, *Modum*, *Tempus*, & *Gradum* eſt *Regiminis*, penes, *Caſum* modò *Conuenientiæ*, modò *Regiminis*.

2. Conuenientiæ eſt quadruplex
   - 1. *Verbi cum Nominatiuo*, Cap. 1.
   - 2. *Adiectiui cum Subſtantiuo*, Cap. 2.
   - 3. *Relatiui cum Antecedente*, Cap. 2.
   - 4. *Duorum Subſtantiuorum*, Cap 3.

3. Regiminis eſt, quadruplex, penes *Caſum*, *Modum*, *Tempus*, & penes *Gradum*.

4. Regiminis penes *Modum* eſt quadruplex, quia quatuor Partes regunt *Modum*
   - 1. Nomen, *Cap.* 16.
   - 2. Verbum, *Cap.* 16.
   - 3. Aduerbium, *Cap.* 20.
   - 4. Coniunctio, *Cap.* 21.

5. Regiminis penes *Tempus* & *Gradum* eſt ſimplex, quia ſola *Aduerbia* regunt *Tempus* & *Gradum*. Cap. 20. 19.

6. Regiminis Penes *Caſum* eſt ſeptuplex, quia ſeptem Partes regunt *Caſum*: Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Aduerbium, Præpoſitio, Interiectio.

1. Nomen Subſtantiuum regit
   - 1. *Genitiuum*, Cap. 4.
   - 2. *Ablatiuum*, Cap. 4. & 6.

2. Nomen Adiectiuum regit
   - 1. *Genitiuum*, Cap. 4.
   - 2. *Datiuum*, Cap. 5.
   - 3. *Accuſatiuum*, Cap. 5.
   - 4. *Ablatiuum*, Cap. 6. & 7.

3. Pronomen regit *Genitiuum* & *Datiuum*, Cap. 8.

4. Verbum regit
   - 1. *Genitiuum*, Cap. 11. 12. 9.
   - 2. *Datiuum*, Cap. 13.
   - 3. *Accuſat: ante ſe.* Cap. 16 *poſt ſe*, Cap. 14. 9.
   - 4. *Ablatiuum*. Cap. 15. 10. 9.

5. Participium regit *Caſum* ſui Verbi. Cap. 18

6. Aduerbium regit *Nominatiuum*, *Genitiuum*, *Datiuum*, *Accuſatiuum*, *Ablatiuum*. Cap. 19.

7. Præpoſitio regit *Accuſatiuum* & *Ablatiuum*. Cap. 22.

8. Interiectio regit *Nom: Dat: Accuſ: Vocat:* Cap. 23.

Regu-

### Regulæ Generaliſſimæ.

1. Quod Accidens præſcribit vox Regens, in eo debet poni vox, quæ regitur, *Vel*, Quot & quæ Accidentia præſcribit vox regens; tot & talia debet obſeruare Dictio, quæ regitur: vt *Scamnum breue*, Declaratio. *Hic, quia Vox Regens iſta* Scamnum *tria Accidentia præſcribit.* 1. Genus Neutrum. 2. Numerum Singularem. 3. Caſum Nominatiuum, *ideo etiam Vox Recta ſcilicet* Breue, *hæc tria Accidentia obſeruat, & habet.*

2. Quem Caſum habet poſt ſe

- 1. Nominatiuus, eundem etiam reliqui Caſus admittunt: vt *Filius Regis, Filij, o, um, i, o, ij, orum, ijs, os, Regis.*
- 2. Numerus Singularis, eundem etiam Pluralis habebit: vt *Diues agris, & Diuites agris.*
- 3. Poſitiuus gradus, eundem etiam Comparatiuus & Superlatiuus regere poſſunt: vt *Amans Patriæ, amantior, amantiſſimus Patriæ.*
- 4. Indicatiuus, eundem etiam reliqui Modi recipiunt; vt *Amo Deum, ama amem amare Deum.*

## CAPVT I.

## De Conuenientia Verbi cum Nominatiuo.

1. Verbum Finiti Modi, cum vno Nominatiuo aperto vel occulto, in eodem Numero & Perſona concordat. Cic: *Ratio præſit, appetitus obtemperet*, Cic: *Legi literas.* Sen: *Laus vera & humili ſæpè contingit viro.*

Declaratio. *Vis Regulæ eſt*, Ratio præſit. *Hic Verbum Finiti Modi eſt* præſit, *Nominatiuus apertus eſt* Ratio; *concordat autem Verbum* præſit, *cum Nominatiuo iſto* Ratio; *in eodem Numero & Perſona, vt Regula docet: quia ſicut* Ratio *eſt numeri Singularis; ita* præſit *eſt Numeri Singularis ſicut* Ratio *eſt Perſonæ Tertiæ; ita* præſit *eſt etiam Perſonæ Tertiæ. Similiter in hoc Exemplo:* Legi tuas literas, *Verbum F. M. eſt* Legi, *quod cum Nominatiuo occulto .ſ. iſto* Ego, *in eodem Numero & Perſona cohæret.*

2. Verbũ F. M. reſpiciens plures Nominatiuos copulatos: aut Nominatiuum cum Ablatiuo, qui ſunt Perſonæ.

1. Eiúſdem in Perſona eádem cum illis concordat & in Numero Plurali ponitur. Plau: *Fames & mora, bilem in naſum conciunt.* Cic: *Catulus & Hortenſius diſſentiunt.* Virg: *Remo cum Fratre Quirinus iura dabant.*
2. Diuerſæ, in Numero Plurali ponitur, & cum digniόre perſona concórdat (ſcias autem Primam Perſonam eſſe digniórem, Secundâ & Tertiâ; Secundam verò digniórem Tertiâ) Hor: *Ego & vos ſcimus.* Cic: *Si tu & Tullia valetis: ego & Cicero valemus.* Virg: *Diuellimur inde Iphitas & Pelias mecum.*
3. Aut eiuſdem aut diuerſæ, ſæpiſſimè cum uno Nominatiuo viciniόre, in eodem Numero & Perſona concórdat. Cic: *Vos vos & Senatus reſtitit.* Ouid: *Tu cum fratre præmia feres.* Cic: *Animum tuum mærori mecum dediſſes.*

3. Interdum Verbum Finiti Modi ferè in Numero Singulari, & Perſona Tertia, loco Nominatiui concórdat cum Verbo Infiniti Modi, aut cum aliquo membro Oratiónis. Hor: *Virtus eſt vitium fugere.* Perſ: *Pulchrum eſt digito monſtrari.* Cic: *Quod meum negotium curaſti fuit mihi gratum.*

4. Omne Verbum F. M. duos Nominatiuos ſimul, vnum ante ſe, alium poſt ſe.

1. Habere poteſt, cùm res pertinent ad idem. Cic: *Stylus eſt optimus Magiſter dicendi.*
2. Diuerſi Numeri habens, ſæpius in Plurali, quàm in Singulari ponitur. Sen: *Magnæ diuitiæ ſunt, lege naturæ compoſita Paupertas.* Ouid: *Veſtes quas gerimus ſórdida lana fuit.* Ann: 8.

5. Interdum, Verbum cum Nominatiuo, Adiectiuum cum Subſtantiuo, Relatiuum cum Antecedente, non ratione vocis; ſed ratione ſenſus & rei ſignificatæ, in Numero vel Genere vel vtroque ſimul concordat. Ouid: *Turba ruunt.* Liu: *Samnitum tria millia cæſi.* Ter: *Vbi eſt ille ſcelus, qui me perdit.*

## CAPVT II.

## De Conuenientia Adiectiui cum Subſtantiuo, & Relatiui cum Antecedente.

1. Adiectiuum cum vno Subſtantiuo aperto vel occulto, in eôdem Genere, Numero, & Caſu cohæret. Cic: *Summum ius, ſumma iniuria.* Ouid: *Et ſaxis ipſis longa ſenécta nocet.* Cic: *Venit ad me recta .ſ. via.* An: 11.

Declaratio. *Vis Regulæ eſt* ius ſummum. *Hic Adiectiuum eſt* ſummum: *Subſtantiuum eſt* ius, *concordat autem Adiectiuum* ſummum *cum Subſtantiuo* ius, *in eodem Genere, Numero, & Caſu vt Regula docet: quia ſicut* ius *eſt Generis Neutri: ita* ſummum *eſt Generis Neutri: ſicut* ius *eſt Numeri Singularis, ita* ſummum *eſt etiam Numeri Singularis: ſicut* ius *eſt Caſus Nominatiui; ita* ſummum *eſt etiam Caſus Nominatiui.*

2. Adiectiuum cum pluribus Subſtantiuis copulatis, quæ ſunt Generis

1. Eiuſdem, in eôdem Genere, & Caſu concordat; ſed in Plurali Numero ponitur. Iuſt: *Miſericordia & perfidia in eo pari iure dilectæ.* Liu: *Hippocrates & Epicides nati Carthagine.* Apull: *Iuno cum Minerua triſtes.*

2. Diuerſi in eôdem Caſu concôrdat: ſed in Plurali ponitur, & cum digniôre Subſtantiuo in Genere cohæret. (Illud Subſtantiuum eſt dignius quod eſt Generis digniôris. Eſt autem Maſculinum dignius Feminino & Neutro; & Neutrum dignius Feminino) Ter: *Pater mihi & mater ſunt mortui.* Ouid: *Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.*

3. Aut eiuſdem, aut diuerſi, ſed ferè inanimâta, in Caſu concôrdat: ſed in Plurali Numero, & in Neutro Genere ponitur ſæpiſſimè. Sall: *Nox & præda ſunt hoſtem remorâta.* Suet: *Vrbs & templum ſunt dedicâta.*

4. Aut eiûſdem, aut diuerſi conſtruêndum ſæpè & eleganter cum viciniôre Subſtantiuo, in eodem Genere. Numero, & Caſu cohæret, vt *Culter & ſcamnum fractum.* Cic: *Nobis inter nos ſiue incommoda, ſiue vitia, ſiue iniurias eſſe tolerandas iudico.*

3. In his exemplis. *Fama malum, triſte lupus, turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor, &c.* Adiectiuum Neutrum pro Subſtantiuo ponitur, ſicque explicatur, *Res mala, res triſtis, res turpis*, vt *Fama malum*, id eſt, *fama eſt res mala.*

4. Vt Adiectiuum cum Subſtantiuo vno vel Pluribus concordat; ita etiam concordabit
   1. Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen, vt *Marcus Tullius Cicero, Pater Patriæ*,
   2. Relatiuum cum Antecedente vno apertè *vel* occultè iterato. Pſalm. *Beatus vir, qui timet Dominum*, Cic: *Diem ſcito eſſe nullum, quo die non dicam pro reo.*

5. Relatiuum debet eſſe Singulare & Neutrum, cujus Antecedens eſt Membrum Orationis, non verò vnum vocabulum. Terent: *In tempore ad eum veni, quod eſt omnium primum.* Cic: *Vnum obijcitur, natum eſſe Gradibus, quod nemo negat.*

6. Relatiuum, *Qui, quæ, quod*, & Participium diuerſi Generis aut Numeri Subſtantiuis ſeruiens, ſæpiùs cum priore natura ſimpliciter, quàm cum poſteriore figuratè. in eodem Genere, Numero, & Caſu cohæret. Cic: *Naſica, qui eſt Corculum appellatus.* Idem, *Carcer, quæ Latumiæ vocantur.* Liu: *Patres ab honore; Patricijq́; progenies eorum appellati.*

## CAPVT III.

## De Duorum Subſtantiuorum Conuenientia.

1. Duo Subſtantiua eandem rem ſignificantia in eodem Caſu concordant, immò & in Numero, præter collectiua & Numero Singulari carentia: vt *Chriſtus Dominus, Maria Virgo, Frater Stanislaus, Viſtula Fluvius, Vrbs Athenæ, Aborigenes genus hominum agreſte, opes irritamenta malorum.*

2. Duobus

2. Duóbus vel pluribus Subſtantiuis diuerſis copulatis, additur tertium priora reſpiciens, eiuſdem Caſus, ſed Pluralis Numeri, vel etiam Singularis: vt *Petrus & Paulus Apoſtoli*, vel *Petrus & Paulus Apoſtolus*. Cic: *Lentulo & Marco Conſulibus*, vel *Lentulo & Marco Conſule.*

3. Interdum Subſtantiuorum eidem rei conuenientium alterum in Genitiuo ponitur per primam Regulam Capitis 4. Cic: *Crimen auaritiæ, proditionis, &c.* ſic etiam *Virtus fortitudinis, Peccatum ſuperbiæ.* Cic: *In oppido Antiochiæ.* Virg: *Superare fontem Timaui.* Idem. *Vrbem Butroti aſcendimus.*

4. In quo Caſu ponitur Interrogatio, *Quis, qualis, quotus, Quantus,* excepto *Quanti*, in eodem etiam debet poni reſponſio, quæ non ſit per Pronomen Poſſeſſiuum, vt *Cui ſtudes? Grammaticæ. Quem vidiſti? Paulum. Qualem habes veſtem? Laceram.*

# CAPVT IV.

## De Nomine Genitiuum regente.

1. Subſtantiuo Nomini, aperto vel occulto, adiungitur alterum Subſtantiuum diuerſam rem ſignificans in Genitiuo Caſu. Sall: *Animi imperio, corporis ſeruitio vtendum eſt.* Cic: *Ad Caſtoris .ſ. ædem.* Idem *Caſtra aberant bidui .ſ. itinere.*

2. Genitiuum regunt poſt ſe Subſtantiuè poſita Adiectiua iſta Neutra.
   1. Singularia: *Multum, plus, plurimum, minus, minimum, tantum, quantum, reliquum, obſcurum, medium, &c.* Cic: *Impertio tibi multum ſalutis.* Plau: *Plus mali illicò adeſt, boni ſi obtigit quidquam.*
   2. Pluralia: *Abdita rerum, anguſta & lubrica viarum, incerta fortunæ, occulta ſaltuum.*

3. Vni Subſtantiuo adiungitur alterum Subſtantiuum, aut in Genitiuo, aut in Ablatiuo, habens Adiectiuum laudis vel vituperationis. Iuuen: *Ingenui vultus puer.* Tacit: *Vir imperito ingenio.* Plin: *Homo nullis literis.*

4. Geni-

4. Genitiuum poſt ſe habent

1. Nomina Adiectiua iſta: *Auidus, cupidus, ſtudioſus, memor, immemor, tenax, compos, particeps, gnarus*, & plurima alia, Perſ: *Viue memor lethi.* Cic: *Omnes immemorem beneficij oderunt.*

2. Participia Præſentis & Præteriti Temporis dum fiunt Nomina, vt *Fugiens, patiens, ſeruans, doctus, conſultus, expertus*, & alia. Saluſt: *Alieni appetens, profuſus ſui.* Cic: *Amans patriæ, ſitiens virtutis.*

5. Genitiuum pluralem aut Ablatiuum cum Præpoſitione *de*, *e*, *ex*, aut Genitiuum Singularem collectiuum admittunt.

1. Adiectiua Partitiua iſta: *Aliquis, alter, alius, nemo, nullus, neuter, &c.* Plin: *Nemo mortalium omnibus horis ſapit.* Cic: *Quidam è Philoſophis*, Curt: *Quis Vllius gentis ferat.*

2. Numeralia & quæuis Adiectiua partitiuè & diſtributiuè ſumpta. Curt: *Octaginta Macedonum.* Idem, *Singuli Veſtrûm.* Plin: *Lanarum nigræ nullum colorem bibunt.* Idem, *Ouorum oblonga.* Cic: *Multi de Victoribus.* Idem, *Secundum erat de tribus.*

3. Comparatiua & Superlatiua. Cic: *Zeno iſtorum acutiſſimus.* Plin: *Animalium fortiora.* Curt: *Priores eorum intromitti iubet.* Cic: *Totius Græciæ doctiſſimus Plato.* Plin: *Villoſiſſimus animalium lepus.* Cic: *Ex omnibus audaciſſimus.*

4. Solus & vnus *pro* ſolo. Cic: *Vnus è Stoicis.* Plin: *Vnus omnium*, Cic: *Vnus ex Philoſophis*, *ſoli Philoſophorum*, vel *ex Philoſophis.*

6. Comparatiua & Superlatiua pro Genitiuo Plurali Accuſatiuum cum Præpoſitione *Inter* vel *ante* aliquando habent. Quint: *Inter nos fortior eſt.* Virg: *Ante alios immanior.* Sen: *Craſſus inter Reges opulentiſſimus.* Plin: *Fideliſſimi ante omnia homini canes & equi.*

CAPVT

# CAPVT V.

## De Adiectiuis Datiuum & Accuſatiuum.

1. Datiuo gaudent Adiectiua iſta:

1. *Carus, gratus, iucundus, vtilis, aptus, propitius, contrarius, beneuolus, moleſtus, facilis,* & alia multa. Cic: *Voluptas contraria honeſtati.*
2. *Obuius, peruius, obnoxius, ſupplex, conſentaneus, concors, conterminus,* & alia ex Con Compoſita. Cic: *Mors eſt vitæ conſentanea.*
3. *Flebilis, amabilis, miſerabilis, optabilis, affabilis, habitabilis, amandus, lugendus, colendus,* & alia Verbalia in *bilis,* & Participialia in *Dus* paſſiuè ſignificantia, Horat: *Nulli flebilior quàm illi.* Stat: *Lugendus fratri iaceres.* Cic: *Alijs miſerandus, alijs irridendus eſſe videtur.*

2. Hæc Adiectiua. *Latus, longus, craſſus, profundus, altus,* nomen menſuræ certæ, in Accuſatiuo, aut Ablatiuo ſine Præpoſitione regunt frequenter, ſed in Genitiuo rariſſimè. Plin: *Longum ſeſquipede. latum pede.* Liu: *Gladij quaterna cubita longi.* Cato. *Trabes viginti duorum pedum longæ.*

3. Adiectiua de Toto dicta, & de Parte tantùm intellecta, recipiunt Nomen Partis in Accuſatiuo, ſed ſæpiùs in Ablatiuo ſine Præpoſitione. Virg: *Os humeroſq; Deo ſimilis.* Mart: *Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus.* Cic: *Lingua hæſitans voce abſonus.* Idem, *Cætera egregius, cætera doctus,* Virg: *Qui Genus? Craſſa genus Pholoe.*

CAPVT

# CAPVT VI.

## De Nominibus Ablatiuum admittentibus.

1. Ablatiuum Cauſæ Modi, inſtrumenti aut alterius ſimilis circumſtantiæ ſine Præpoſitione habetur poſt ſe.
   1. Subſtantiua Appellatiua nonnulla. Cic: *Ætate & pietate, filius, beneficio parens, amore frater* ſic dicimus: *Nomine Petrus, titulo Doctor, Dei gratia Rex.*
   2. Adiectiua plurima. Ouid; *Fit dulcis mercede labor.* Hor: *Carmine fit viuax virtus* ſic etiam. *Inſignis genere, pallidus morte, manu promptus, loquacitate moleſtus. Adria genere, Polonus natione, decem Numero, ſextus ordine.*

2. Hoc vocabulum *Opus eſt* poſitum.
   1. Subſtantiuè, regit Datiuum Perſonæ & ſimul Ablatiuum rei. Cic: *Tuo conſilio nobis opus eſt.* Vale: *Non eſt opus eo ciue Reipubl. qui parere neſcit.*
   2. Adiectiuè, cum quouis Subſtantiuo in Genere Numero & Caſu cohæret. Plaut: *Opus ſunt milites.* Cic: *Dux nobis & author opus eſt.*

3. Comparatiuo additur rei ſuperioris ſeu inferioris.
   1. Ablatiuus ſine Præpoſitione. Cic: *Virtus eſt pretioſior auro.* Idem, *Sunt facta verbis difficiliora.*
   2. Cum particula *quàm*, Caſus ille, in quo etiam ponitur ipſe Comparatiuus. Ter: *Callidiorem vidi neminem quàm Phormionem.*
   3. Nominatiuus cum Verbo Subſtantiuo, & particula *quàm* vt *ſtudioſiorem neminem habes tui, quàm ego ſum.*
   4. Aliquis ex his Ablatiuis, *Æquo, dicto, ſolito, iuſto, ſpe, opinione.* Quint: *Membrum longius iuſto eſt tardum.* Cic: *Maiorem opinione omnium cœpi dolorem.*

4. Abla-

4. Ablatiuum cum Præpoſitione *In* multa poſt ſe habent Adiectiua. Quint: *Eminentiſſimus in Eloquentia.* Plin: *Parci in victu, modici in cultu.* Iuſt: *Primus in fuga, vltimus in prælio.* Liu: *Segnes in bello.*

5. Ablatiuum cum Præpoſitione *A* vel *Ab* admittunt Adiectiua.
- 1. Diuerſitatis, *vt alter diuerſus.* Cic: *Hoc eſt diuerſum à reliquis;* Virgil: *Alter ab illo.*
- 2. Ordinalia, *Secundus à Rege.* Cic: *Quartus ab Arceſila.*
- 3. Hæc duo *alius* & *tutus*, & interdum per Helleniſmum ſine Præpoſitione. Sen: *Nihil à vetuſtate tutum.* Hor: *Alius ſapiente bonoque.*

## CAPVT VII.

### De Adiectiuis Ablatiuum vel alium Caſum habentibus.

1. *Plenus, locuples, ſatur, diues, refertus, egenus, indigus, pauper, inanis, expers,* Genitiuum vel Ablatiuum ſine Præpoſitione regunt. Cic: *Vir fide plenus.* Cic: *Homo officij plenus.* Cic: *Diues copijs.* Plaut: *Expers ſis metue.* Cic: *Homo expers ingenij & conſilij.*

2. *Dignus, indignus, truncus, viduus, onuſtus, cumulatus, captus, caſſus,* ſæpiùs & tutiùs Ablatiuum ſine Præpoſitione, quàm Genitiuum regunt. Cic: *Dignus odio.* Cic: *Digniſſima tuæ virtutis cura.*

3. *Vacuus, orbus, extorris, liber, purus, inops, immunis, nudus, ſecurus,* habent poſt ſe Genitiuum vel Ablatiuum, addita aut omiſſa Præpoſitione *A* vel *Ab.* Cic: *Liber à metu, vacuus curis.* Virg: *Immunis belli.*

1. *Alie-*

1. *Alienus* gaudet vel Genitiuo, vel Datiuo, ſed Ablatiuo ſæpiſſimè, addita vel omiſſa Præpoſitione *A* vel *Ab.* Cic: *Homo à literis alienus, alieniſſimus alicui, alienum, amicitiâ noſtra, credo eius dignitatis alienum.*

2. *Proximus* habet Datiuum vel Accuſatiuum additâ vel omiſsâ Præpoſitiône *Ad* Sall: *Proxima Carthagini Loca.* Cic: *Proximus Pompeium ſedebam.* Ouid: *Proximus ad aliquem ſedeo.*

# CAPVT VIII.

## De Syntaxi Pronominum.

1. Cum his tribus Pronominibus, *Ego, Tu, Sui,* vt Adiectiuum in eodem Genere, Numero & Caſu concordet, debet aliquod Subſtantiuum ſubaudiri. Ter: *Heu me miſerum.* Idem: *Inopis te nunc miſereſcat mei.* ſic dices: *Heu me miſeram.*

2. Subſtantiuo Nomini adiungitur Genitiuus ſiue Singularis, ſiue Pluralis, horum Pronominum: *Hic, iſte, ille, ipſe, is; quis* vel *qui.* Ter: *Cuius eſt hæc Veſtis? Cherea.* Plau: *Tua facilitas illius animum corrupit.*

3. Pronomina Primitiua ſubſtantiuè poſita, Genitiuum regunt: Ter: *Quid negotij tibi eſt hic?* Cic: *Hoc literarum ad te dedi:* Virg: *Tu mihi quodcunque hoc regni concilias.*

4. Poſſeſſiua, *Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter.*

1. Cuilibet Genitiuo Nominis, Pronominis, & Participij adiûnguntur. Liu: *Noſter duorum euentus.* Cic: *Ex tuo ipſius animo coniecturam cape.* Plin: *Poſt tuum Viri eruditiſſimi iudicium.* Ouid: *Vt mea defuncta molliter oſſa cubent.*

2. Pro Genitiuo, ſæpè habent Relatiuum *Qui quæ quod,* cum Verbo Participij. Ouid: *Nunc mea ſcripta legis, qui ſum ſubmotus ad Iſtrum,* pro *mea ſubmoti.*

5. Iſti quinque Genitiui *Mei, Tui, Sui, Noſtri, Veſtri.*

1. Paſſiuè accepti, adiunguntur iſtis Nominibus, *Cura, ſolicitudo, memoria, copia, dolor, Vſus, Vtilitas, poteſtas, deſiderium, &c.* Cic: *Grata eſt memoria noſtri tua.*
2. Adiunguntur Nominibus iſtis, *Pars, nihil, aliquid, dimidium, reliquum, multum, plurimum, reſiduum, quidquam, &c.* Ter: *Tetigine tui quidquam.* Ouid: *Parte meliore mei ſuper aſtra ferar.*

6. Genitiui iſti *Noſtrûm* & *Veſtrûm.*

1. Comparatiuis, Superlatiuis, Numeralibus, & Partitiuis addûntur. Cic: *Maiori Veſtrûm parti.* Terent: *Ne cui Veſtrûm ſit mirum.* Liu: *Primus Veſtrûm ò Iuuenes.* Cic: *Vtriuſque noſtrûm magni intereſt.*
2. Aliquando ponûntur pro *Noſter* & *Veſter.* Cic: *Frequentia Veſtrûm incredibilis,* ſic *Maiores noſtrûm pro noſtri.*
3. Debent poni, non autem *Noſtri* aut *Veſtri*, dum aliquis Genitiuus Pluralis, eſt ipſis adiungêndus. Cic: *Patria eſt noſtrûm parens omnium.*

# CAPVT IX.

## De Syntaxi Circumſtantiæ Loci.

Read :

1. Ex loco motum Verba ſignificantia habent poſt ſe Nomen

1. Proprium Vrbis aut Pagi in Ablatiuo ſine Præpoſitione. Cic: *Roma proficiſci.*
2. Proprium Regiônis, Inſulæ, Montis, & aliarum rerum, in Ablatiuo addita *è* vel *ex* Præpoſitiône. Cic: *Ex Syria egredi.*
3. Appellatiuum cuiuſuis loci, in Ablatiuo addita *è* vel *ex* Præpoſitione. Cic: *Ex eo loco caſtra moui.*

1. Apud Cicerônem leges. *Redire rure, exire domo, delatâ ad me è domo Cæſaris, remigrare in domum Veterem è noua, de domo deducere.*

3. In

3. In loco quietem ſignificantia Verba habent poſt ſe Nomen

Gdzie?

1. Proprium Vrbis aut Pagi in Genitiuo ſine Præpoſitione, ſi eſt Primæ vel Secundæ Declinationis, Numeri Singularis, (ſubaudito ſæpiùs quàm expreſſo Appellatiuo *In Vrbe, in oppido.* vel etiam in Ablatiuo cum Præpoſitione *In*, addito vel omiſſo Appellatiuo) vt *Studeo Cracouiæ, manſi Gedani.* Cic: *Cùm Laodiceæ cum Iconij eſſem. Albæ conſiterunt in Vrbe opportuna.* Plin: *In Nea oppido Troadis. In Ephyra & Aſſo inueniuntur.*
2. Proprium Vrbis aut Pagi in Ablatiuo ſine Præpoſitione, ſi eſt Tertia Declinationis, aut etiam Pluralis Numeri. Cic: *Eſt Sycione, manet Athenis*, ſic *fuit Leopoli.*
3. Proprium Regionis, Inſulæ, Montis & aliarum rerum in Ablatiuo cum Præpoſitione *In* Saluſt: *In Sicilia bellum geritur.* Cic: *Verſari in Aſia.*
4. Appellatiuum cuiuslibet loci, vel quaſi loci, in Ablatiuo cum Præpoſitione *In.* Cic: *In Vrbe florere.* Idem, *Frumenta aut in agris ſunt, aut in villis.*

4. Ad *Vbi* reſpondendo, dum aliquid ſignificatur.

1. In loco factum eſſe, & diſtantia loci eſt exprimenda, vtemur Ablatiuo, additâ vel omiſſa Præpoſitione, vt *Quarto ab Vrbe lapide, à tertio milliario.* vel Accuſatiuo additâ Præpoſitione, vt *Ad quintum milliare.*
2. Extra Eſſe, vel fieri, vel factum eſſe, quodlibet Nomen ponemus in Accuſatiuo, additâ Præpoſitione apta, quales ſunt, *Ad, apud, penes, prope, cis, circa, &c.* Cur: *Caſtra ad Babylonem poſuit.*

5. Rectè & Latinè dices: *Eſt*

1. *Ruri* vel *rure*, ſed malè in *rure*. Ter: *Ruri ſe continebat*. Hor: *Nugáris rure paterno.*
2. *Domi meæ, tuæ, ſuæ, noſtræ, vestræ, alienæ:* & *in domo mea, tua, ſua, noſtra, vestra, aliena.* Cic: *Malo eſſe domi meæ, quàm alienæ.* Plin: *In domo mea conualuit.*
3. *Domi Cæſaris,* vel *in domo Cæſaris. Eſt domi Pauli,* vel *in domo Pauli.* Cic: *Domi Lentuli educatus.* Cic: *In domo Cæſaris fuit.*
4. *In domo vidua, picta, noua, conſtructa*, ſed malè *domi viduæ, pictæ, nouæ, conſtructæ.* Ouid: *Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.*
5. *Domi* vel *domo*, ſed hic latet differentia. Senec: *Quidquid domi eſt, vile eſt.* Quin: *In domo factum furtum.*
6. *Humi, belli, militiæ; & in humo, bello, militia.* Luc: *Humi iacet.* Cæſ: *In bello magni caſus intercedunt.*

Dokąd:

6. Ad locum motum Verba ſignificántia habent poſt ſe Nomen

1. Proprium Vrbis aut Pagi in Accuſatiuo ſine Præpoſitiône. Cic: *Athénas profectus eſt.* Gell: *Cartháginem rediit.* *Cracouiam venit.*
2. Próprium Regiônis, Inſulæ, Montis, in Accuſatiuo áddita *In* Præpoſitiône, vt *Véni in Polóniam.* Cic: *in Hiſpaniam miſſus.*
3. Appellatiuum cuiúslibet loci in Accuſatiuo áddita Præpoſitiône *Ad* vel *In.* Cic: *Ad Vrbem ire.* Idem, *In caſtra veni.* Idem, *Cum in Prouinciam veniſſem.*

7. Cicero dicit: *Rus ire, in ſua rura ire, domum & domos ire, ex vna in áliam meliórem domum migrâre.*

8. Próprijs Nominibus Inſulârum; imò & Regionum, aliquándo ſubtrâhunt Præpoſitiônem Authores, ad *Quo* reſpondendo, vt Cic: *Filius Corcyram venit.* Virg: *Ibitis Italiam.*

9. Per

9. Per locum Verba ſignificantia môtum, regunt poſt ſe Nomen, & Proprium, & Appellatiuum, in Accuſatiuo cum Præpoſitione *Per*, aut, ſi amphibologia non timetur, in Ablatiuo ſine Præpoſitione. Cic: *Iter faciebam per Licaoniam, per Iſauros, & per Cappadociam.* Idem, *Iter Laodicea faciebam.* Idem, *Terra mariq; factæ inſidiæ.*

10. Cicero dicit: *Vagari per orbem terrarum, vagari toto foro, vagari tota vrbe, vagari in campo, vagari in vrbe, tranſire mare, tranſire Euphratem, &c.*

11. Si Nomen Proprium Vrbis, & Appellatiuum ſimul concurrant, Appellatiuum ſemper ſuam, Proprium verò modò ſuam, modò Appellatiui habebit Syntaxin. Cic: *Albæ in vrbe opportuna.* Plin: *In Nea oppido Troadis.*

12. Caſum Circumſtantiæ Loci eundem habet Verbale, quem habet Verbum ipſius. Cic: *Duo aditus, ex Sicilia in Ciliciam.* Cæſ: *Omni ſpe reditionis domum ſublatâ.* Cic: *Profectus in Hiſpaniam.*

13. Reſpondendo per Nomen ad Interrogationem

1. *Quam procul*, vel *Quam latè?* vtemur Accuſatiuo vel Ablatiuo ſine Præpoſitione. Cic: *Tranſuerſum vnguem à recta conſcientia diſcedere non oportet.* Idem, *Nullum cubitum proceſſit.* Virg: *Tres vlnas patet.* Idem. *Longis paſſibus abſunt.* Ouid: *Nouem iugeribus diſtat ab imo.*
2. *Cuias* vel *Vnde?* vtemur nomine Proprio Vrbis aut Pagi Adiectiuo, vel etiam in Ablatiuo poſito Subſtantiuo, addita Præpoſitione *A* vel *Ab*, vel *Ex*, *vt D. Thomas Aquinas, Liuius Patauius.* Cæſ: *Equites à Placentiâ.* Liu: *Herdonius ab Aricia.* Ter: *Eſt è Corintho ânus hæc.*

14. Pulchrè dicitur. *Abeſſe, bidui, tridui, quatridui*, per Eccli pſin Accuſatiui (*iter aut viam*) qui ſæpè exprimitur. Cic: *Caſtra aberant bidui.* Cic: *Iter vnius diei ab Amano abfui.* Cæſ: *Bidui viam proceſſit.*

# CAPVT X.

## De Ablatiuo Abſoluto, Temporis, Modi, Cauſæ, Materiæ, Pretij, & Inſtrumenti.

1. Ablatiuus Abſolutus, pluribus dictionibus conſtans, & interdum vna Participij Partis Neutrius Generis, quibuſvis addi poteſt Verbis. Liu: *Seneſcentibus vitijs matureſcit virtus.* Cic: *Lentulo & Marcello Conſulibus.* Sall: *Audito Regem in Siciliam tendere.* Cic: *Te vno excepto.* Idem, *Lectis literis.* Horat: *Te duce non ſinas.*

3. Omne Verbum admittit Ablatiuum ſine Præpoſitione cùm reſpondetur per Nomen ad Interrogationem

1. Quando? Plin: *Nemo omnibus horis ſapit.* Idem, *Maria plenilunio purgantur.* Cic: *Superioribus diebus veni.* Idem, *Horâ quartâ literas dedi.* Ouid: *Nocte dieq; legit.*
2. Quamdiu? aut etiam Accuſatiuum & ſæpiùs quidem. Cic: *Triginta annis vixit.* Valer: *Triennio continuo vexabatur.* Virg: *Tot annos bella gero.* Cic: *Duas horas vnà fuimus.* Idem, *Biduum Laodiceæ fuiſti.* Idem, *Vnum annum audiſti.*
3. Quomodo? Cæſ: *Mira celeritate bellum conficitur.* Ouid: *Iniqua mente tulit.* Tac: *Aduerſis animis acceperunt.* Cæſ: *Magis virtute, quàm dolo contendere decet.*
4. Quo inſtrumento ſeu quanam re? Cic: *Cædere virgis.* Idem, *Venabulo beſtiam tranſuerberauit.* Virg: *Tranſadigo enſe.*
5. Quare? Cic: *Omnes deteriores ſumus licentia.* Horat: *Oderunt peccare boni virtutis amore.*
6. Ex qua Materia? Liu: *Capitolium ſaxo quadrato ſubſtructum eſt.* Virg: *Viminibus molliq; paras detexere vnco.*
7. Quanti? Cic: *Grandi pecunia mercari.* Idem, *Tanta mercede nihil ſapere docet.* Iuuen: *Sex millibus emit.*

3. Reſpon-

3.Reſpondere ad *Quamcito* in vtroq; ſenſu ex his addiſcas Exemplis.

1. In primo ſenſu : Liu : *Intra paucos dies, puncto temporis.* Cic : *Biduo, quatriduo, paruis momentis, breui, in breui, in diebus pauculis.*
2. In ſecundo ſenſu : *Poſt diem tertium, poſt aliquot dies, aliquot poſt menſes, paucis poſt diebus, hora poſt anno poſt, intra ſeptimum diem ſecundùm Calendas Ianuarias, exacto menſe, aliquot diebus interpoſitis.*

4. Præpoſitionem Polonicã cum Caſu eius, in Latinâ quoque linguâ exprimere licet poſt verbum, reſpondendo ad

1. Quando? Cic: *Ad nonum Calendas Iulias veni, ad diem dictum fient, in tempus ſcripti verſus, ad compoſitam horam.* Ter: *Rus ibo cum prima luce.* Hor: *Surgere de nocte.*
2. Quamdiu? Cic: *Per biduum nemo agnoſcebat.* Idem, *Per decem annos Prouinciam tenuiſti.*
3. Quomodo? Cic: *Bona cum venia audire, magno cum metu dicere.* Idem, *Quod per ſcelus adeptus eſt, per luxuriam effundit, facere aliquid per dolum per iram, per iocum.*
4. Quo inſtrumento? Celſ: *Per tela vulnera inferuntur.*
5. Ob quam cauſam? Plin: *Præ pinguedine dehiſcit.* Quin: *Ex vino vacillat.* Cic: *Per negligentiam.* Plau: *Ex paupertate factus parcus.* Amm: *Nec defendendi pro altitudine erat copia.*
6. Ex qua Materia? Plau: *Ex ferro factum eſt.*

5. Ablatiui iſti : *Nimio, plurimo, immenſo, minimo, dimidio, duplo, paululo, magno permagne, modico,* adijciuntur Verbis vendendi & emendi, &c. ſæpius abſque Subſtantiuo, quàm cum Subſtantiuo. Cic : *Vendere aliquid quamplurimo.* Mart. *Paruo pretio cum diu liceret.*

6. Iſta Adiectiua : *Tanti, tantidem, quanti, quantiquanti, quanticunq; minoris,* abſque Subſtantiuo in Genitiuo, cum Subſtantiuo in Ablatiuo ponuntur. Cic : *Emit tanti, quanti voluit.* Iuuen : *Quanto metiris pretio?*

7. Vt *maiore pretio* non verò *pluri pretio*; ita in Genitiuo *Pluris* tantùm, non verò *Maioris* dicere debemus. Liu : *Maiore pretio redimi,* Coll : *Ædificamus pluris frequentius.*

 CAPVT

# CAPVT XI.

## De Verbis Genitiuum habentibus.

1. *Sum* quando ſignificat,

1. Laudem vel vituperationem: quædam Nomina recipit tantùm in Genitiuo, quædam tantùm in Ablatiuo, quædam verò in utroque. Ter: *Nullius ſum conſilij.* Plin: *Abrotanum eſt iucundi odoris.* Cic: *Animo forti & magno ſis.* Idem. *Mira ſum alacritate.*
2. Poſſeſſorem, aut, pertinet, Genitiuo gaudet. Cic: *Iudicis eſt, ſemper verum ſequi.* Quin: *Laudare ſe eſt vani vituperare ſtulti. Hoc dictum eſt Platonis.*
3. Idem, quòd *habeo*, cum ſuis Compoſitis Datiuum Perſonæ admittit. Virg: *Eſt mihi domi Pater, eſt iniuſta nouerca, Supereſt mihi pecunia.*
4. Idem, quod *Adfero, præſto, habeo*, duos ſimul regit Datiuos, vnum rei, alterum Perſonæ: ſed Datiuus Perſonæ interdum reticétur. Cic: *Vt vobis honori, amicis vtilitati, Reip. emolumento eſſe poſſitis.* Idem, *Eſt mihi curæ iſta res. Regulus exemplo eſſe poteſt nobis.*
5. Idem, quod *Æſtimor*, Genitiuos iſtos: *tanti, quanti. pluris, minoris, magni, parui, &c.* admittit. Cic: *Conſcientia mihi pluris eſt, quam hominum ſermo.*

2. Latinè dici, *Eſt mihi nomen Ioannes*, vel *Ioanni*, vel *Ioannis*, veterum teſtantur exémpla. Cic: *Cui Spiridion fuit cognomen.* Virg: *Cui cognomen Iulo.* Paul: *Nomen Mercurij eſt mihi.*

3. *Miſereſco* ſemper Genitiuum, & *miſereor* quoque habet, ſed *miſereor* etiam Datiuum rariſſimè admittit. Virg: *Arcadij, miſereſcite Regis.* Cic: *Miſeremini ſociorum.* Idem, *Miſerebor veſtri.* Eccle: *Miſerere nobis.*

4. *Recordor* & *Memini*, aut Genitiuum, aut Accuſatiuum, aut Ablatiuum cum Præpoſitione *De* recipere poſſunt. Cic: *Conſilia tua recordor.* Idem, *Memini alicuius, aliquid, de aliquo.* Idem, *Multa de Aquilio recordatur.*

5. Depo-

1. Deponentia, *Reminiſcor* & *obliuiſcor*, aut Genitiuum, aut Accuſatiuum habent. Cæſ: *Priſtinæ reminiſci virtutis.* Cic: *Obliuiſci iniurias* vel *iniuriarum.*

2. Neutra, *Egeo*, & *Indigeo*: aut Genitiuum, aut Ablatiuum habent. Cic: *Egeo tempore, egeo conſilij.*

6. Hæc tria Imperſonalia: *Eſt*, *intereſt*, *refert*, admittunt quemuis Genitiuum, exceptis iſtis Primitiuis quinque: *Mei, Tui, Sui, Noſtri, Veſtri.* Cic: *Intereſt omnium rectè facere.* Liu: *Nihil intereſt Regis.* Cic: *Tuarum rerum intereſt.*

7. Verbum Imperſonale, *Eſt*, requirit Nominatiuos iſtos: *Meum, Tuum, Suum, Noſtrum, Veſtrum*, vbi eſt Eclipſis Subſtantiui *officium.* Plau: *Non eſt meum contra aliquem ius dicere*, id eſt, *officium non eſt meum.*

8. *Cuia* vel *cuius intereſt*, leges apud Ciceronem.

9. Hæc duo Imperſonalia *Intereſt* & *Refert.*
1. Hos Ablatiuos, *Mea, Tua, Sua, Noſtra, Veſtra*, ſibi adiungunt. Cic: *Tua iſtud maximè refert.* Idem, *Quod meâ & Reip: intereſt.*
2. Augendæ, vel minuendæ ſignificationis gratiâ, admittunt etiam iſtos quinque Genitiuos: *Tanti, quanti, magni, permagni, parui*, & multa Aduerbia, vt *Tantum, quantum, maximè, vehementer, multum, plus, plurimum, &c.* Cic: *Tuâ iſtud maximè refert.* Idem, *Permagni intereſt.*

# CAPVT XII.

## De Verbis Genitiuum cum Accuſatiuo ſimul regentibus.

1. Imperſonalia iſta: *Pœnitet, pudet, piget, tædet, miſeret, miſereſcit*, Accuſatiuum Perſonæ, & ſimul Genitiuum recipiunt. Cic: *Sua quemque fortunæ pœnitet.* Sall: *Me ciuitatis morum piget tædetque.*

 1. Actiua

1. Actiua *Compleo, impleo, ſaturo, participio,* cum Accuſatiuo aut Genitiuum, aut Ablatiuum habent. Cic: *Complere forum lamentatione.* Plau: *Erroris & dementiæ illos complebo.* Cic: *Ollam denariorum implere.* Plau: *Hæ res vitæ me ſaturant.* Plau: *Participat ſervum ſui conſilij.* Apul: *Prandio dominum participare.*

2. Iſta Verba Actiua: *Æſtimo, duco, facio, habeo, pendo, puto,* & ſimilia Accuſatiuum & ſimul vnum ex his Genitiuis: *Tanti, tantidem, tantiuis, quanti, quanticunque, quantilibet, quantiuis, magni, maximi, parui minoris, minimi, pluris, plurimi,* recipiunt. Cic: *Honores magni putare.*

3. Eleganter dicitur, *Boni conſulo, æqui boni facio, æqui boniq; facio, flocci & aſſis æſtimo, nonnihilo æſtimo pro nihilo duco, habeo, puto, flocci & nihili pendeo.*

4\.

1. Actiuum *Æſtimo* pro Genitiuis, *tanti, quanti, &c.* ſæpè etiam tres Ablatiuos iſtos, *Magno, permagno, paruo,* Ablatiuo *pretio* expreſſo vel ſubaudito, cum Accuſatiuo ſimul admittit. Vale: *Virtus magno vbique pretio æſtimatur.* Sen: *Data magno æſtimas, accepta paruo.*

2. Actiuum *Facio,* Genitiuos iſtos amat. *Aſſis, flocci, huius, nauci, nihili, pili, teruntij, hettæ.* Plaut: *Nihili meam gratiam facit.* Catul: *Nec pili facere cohortem.* Feſ: *Non hettæ illum facio.*

3. Actiuum *Commonefacio,* Accuſatiuum Perſonæ & Genitiuum ſimul admittit. Cic: *Amicitiæ veteris aliquem commonefacere.*

5\. Verba Accuſandi & Damnandi, dum aliquid extra iudicium fieri ſignificant, Accuſatiuo rei gaudent. Cic: *Caſtigate inertiam hominum.* Cic: *Excuſare tarditatem literarum.* Cic: *Inertiam accuſas adoleſcentiam.*

6\. Præ-

6. Præter Accuſatiuum Perſonæ ſimul etiam recipiunt

1. Genitiuum hæc Verba Actiua: *Abſoluo, accuſo, alligo, arguo, arceſſo, aſtringo, damno, condemno, conuinco, defero, inſimulo, incuſo, obligo, poſtulo, teneo.* Plaut: *Furti ſe aſtringit.* Sueton: *Dolabellam repetundarum poſtulauit.* Cic: *Sceleris generum condemnat.*

2. Ablatiuum hæc Verba Actiua: *Abſoluo, accuſo, arguo, alligo, aſtringo, damno, condemno, inſimulo, libero, mulcto, obligo, punio, plecto.* Cic: *Condemnabo eodem ego te crimine.*

3. Ablatiuum, addito adhuc Genitiuo iſta Verba Actiua: *Abſoluo, accuſo, arceſſo, condemno, defero, teneo.* Liu: *Conſulem regni ſuſpicione abſoluerunt.*

4. Ablatiuum cum Præpoſitione *De*, iſta Verba Actiua: *Appello, accuſo, abſoluo, arguo, damno, condemno, defero, poſtulo, expoſtulo, purgo.* Cic: *Accuſas me de negligentia epiſtolarum.* Suet: *Poſtulatur de repetundis.*

5. Ablatiuum cum Præpoſitione *In*, Verba iſta Actiua: *Accuſo, excuſo, conuinco.* Cic: *Conuictus in peccato.* Idem, *Excuſo me tibi in eo ipſo, in quo te accuſo.*

## CAPVT XIII.

### Verba Datiuum, aut duos Datiuos, aut Datiuum cum Accuſatiuo ſimul regentia.

1. Hæc Neutra: *Antecello, antecedo, anteſto, anteeo, anteuerto, attendo, excello, præſto, præcurro, præeo,* aut Datiuum aut Accuſatiuum regere poſſunt. Cic: *Virtus cæteris rebus præſtat.* Idem, *Anteeo cæteros virtute.*

2. Actiuum *Interdico* cum Datiuo Perſonæ, ſimul aut Accuſatiuum, aut Ablatiuum habet. Cic: *Interdicere alicui aquam & ignem;* vel *interdicere alicui aquâ & igne.*

3. Dati-

3. Datiuum poſt ſe regunt Verba

1. Neutra iſta: *Fido, pláceo, pareo, ſtúdeo, fáueo, noceo, ſeruio, volo, &c.* Plin: *Non omnibus eadem placent, nec conueniunt.*
2. Deponentia iſta: *Auxilior, blándior, minor, aduerſor, inſidior, iraſcor, opitulor, aſſentior, ádulor, refragor.* Cic: *Auxiliari cuipiam.* Cic: *Mirificè mihi blanditur.*
3. Compoſita cum Præpoſitiônibus: *Ad, ante, in, inter, ob, præ, ſub, dis, re.* vt *Indormio, obedio, obſequor, ſuccurro, ſubuenio, ſuccenſeo, repûgno, reſiſto, adſum, &c.* Cic: *Fratri tuo reſtiti.* Cic: *Subuenire Patriæ.*
4. Iſta, ſiue fúerint Perſonália, ſiue Imperſonália: *Accidit, contingit, expedit, cónuenit, vacat, ſufficit, patet, liquet, conſtat, dolet, libet, licet, vſuuenit.* Cic: *Tibi licet, mihi conſtat.*
5. Imperſonália Paſſiua, & quæuis ália, modò is Datiuus explicêtur per (*in gratiam, in commodum, in detrimentum*) Plau: *Mihi iſthic, nec ſeritur, nec metitur.*

4. Duos Datiuos; vnum rei, álterum Perſónæ (qui interdum reticetur) regunt poſt ſe Verba nonnûlla

1. Actiua, áddito vel omiſſo Accuſatiuo. Plau: *Quod aliis vitio vertis; id tu tibi laudi ne duxeris.* Plau: *Nemo id probro ducet Alcmenæ.* Cic: *Dare alicui pecuniam fœnori.* Liu: *Dare ſigna receptui.* Cæſ: *Mittere ſubſidio.*
2. Neutra. Cic: *Venire alicui ſubſidio.* Virg. *Subire alicui auxilio.* Cic: *Moleſtiæ mihi fuit.* Cic: *Receptui cánere.*

5. Datiuum cum Accuſatiuo apérto vel occúlto habent Verba

1. Actîua plúrima. Cic: *Commendo tibi eius negótia.* Cic: *Declárare alicui beneuoléntiam.* Cic: *Significare alicui.*
2. Deponéntia nonnulla, vt ſunt, *Grátulor, gratificor, loquor, polliceor.* Plaut: *Polliceor tibi meam óperam.*

CAPVT

# CAPVT XIV.

## Verba Accuſatiuum vnum aut duos.

1. Accuſatiuum poſt ſe admittunt Verba

1. Actiua ómnia, vt *Amo, ádamo, diligo, curo, iúbeo, iuuo, ádiuuo, rogo, peto, &c.* Sen: *Regna cuſtódit metus.* Cic: *Accipere præſtat, quàm facere iniuriam.*
2. Deponentia multa, vt *Miror, admîror, ſequor, aſſequor, miſeror, loquor, &c.* Cic: *Mirári negligéntiam ſatis néqueo.*

2. Nonnúlla Verba Accuſatiuum cognátæ ſignificatiônis habent; imò & Ablatiuum aliquándo, vt *Pugnâre pugnam, fúrere furorem, ire viam, eándem cantilenam cánere, Lúdere ludum, gaudêre gaudium, viuere vitam, mortem obire* vel *morte obire, recta via ire, ire itineribus.*

3. Cum Accuſatiuo conſtruûntur Verba

1. Neutra quædam, vt *Cálleo, hórreo, memini, odi, obſtupeſco, &c.* Cic: *Callêre iura.* Idem, *Ingrati ánimi crimen hórreo.* Idem, *Lugêre mortem alicúius amici.*
2. Quædam Figurátè ſeu Metaphóricè ſumpta. Virg: *Córydon ardêbat Alexin.* Hor: *Olet hircum, ſanguinem ſitit.* Idem, *Mera vineta crepat.* Perſ: *Sápere pátruos.*
3. Nonnúlla, ratiône Præpoſitionis ſubauditæ *ob* vel *propter.* Ter: *Si pater id ſuccenſeat,* id eſt, *ob id ſuccenſeat, tu id times, paues.*
4. Iſta, *Decet, dedecet, delectat, fallit, fugit, iuuat, latet, præterit,* etiam perſonáliter accépta. Cic: *Literæ tuæ me delectauerunt.* Hor: *Multos caſtra iuuant.* Cic: *Nihil te fugit.*
5. Quædam per Synecdochen apud Poëtas & maximè Paſſiua. Virg: *Expleri mentem nequit.* Virg: *Miſeros morſu depaſcitur artus, micat auribus ac tremit artus.*

4. Duos

4. Duos Accuſatiuos ſimul vnum rei alterum Perſonæ admittunt hæc Actiua.

1. *Doceo, edoceo, dedoceo, perdoceo, erudio.* Cic: *Literas edocere aliquem.* Ouid: *Erudio aliquem omnes artes.*
2. *Rogo, oro, exoro, expeto, flagito, efflagito, poſco, expoſco, repoſco, obſecro, exigo,* & hæc Deponentia: *Deprecor. percontor.* Virg: *Pacem te poſcimus omnes.*

5. Cum Accuſatiuis Perſonæ duobus conſtruuntur hæc Actiua:

1. *Facio, creo, præſto, appello, nomino, nuncupo, dico, voco, exhibeo, &c.* Cic: *Cùm ego hunc Oratorem crearo, confirmaro.*
2. *Do, accipio, ſumo, eligo, ſpondeo, deſpendeo, offero, &c.* Cic: *Cùm me Reſp. accepiſſet vadem.* Plau: *Sponde*ſ*né tuam gnatam mihi vxorem.*

1. Actiua iſta: *Celo, interrogo, moueo,* duos ſimul Accuſatiuos, vnum rei, alterum Perſonæ, aut pro Accuſatiuo rei, Ablatiuum cum Præpoſitione *De* admittunt. Ouid: *Hoc te celamus vnum.* Cic: *Si te illud vnum monuerimus.*

2. Actiua *Admoneo,* & *commoneo,* duos Accuſatiuos ſimul aut cum Accuſatiuo Perſonæ Genitiuum rei, vel Ablatiuum cum Præpoſitione *De* admittunt. Cic: *Commonere aliquem de re aliquâ.* Idem, *Illud me præclarè admones.*

3. Actiua iſta: *Doceo, edoceo, erudio,* pro *certiorem facio* poſita, Accuſatiuum & ſimul Ablatiuum cum Præpoſitione *De* admittunt. Cic: *Literæ tuæ erudiant me de omni Republ.*

4. Actiua *Augeo, aſpergo, dono, impertio,* modo Accuſatiuum rei, & ſimul Datiuum Perſonæ: modo Accuſatiuum Perſonæ, & Ablatiuum rei admittunt. Cic: *Donare aliquem annulo aureo.* Idem, *Munera iſta ciuibus tuis dona.*

# CAPVT XV.
## De Verbis Ablatiuum regentibus.

1. Cum Ablatiuo ſine Præpoſitiône conſtruûntur Verba iſta:
   1. Neutra: *Abundo, affluo, exubero, ſcáteo, careo, deficiò, ſuperſedeo.* Cic: *Abundare præceptis Philoſophiæ.* Idem, *Superſedere labore.*
   2. Deponentia: *Vtor, abútor, fruor, veſcor, lætor, oblêctor, fungor, defúngor, glorior, nitor.* Cic: *Carére dolore & fungi officio.*
   3. Deponentia duo: *Dignor & Proſequor,* addito vel omiſſo Accuſatiuo Perſonæ Cic: *Proſequi aliquem honôre.*

2. Ablatiuum rei ſine Præpoſitione addito vel omiſſo Accuſatiuo regunt Verba iſta Actiua:
   1. *Afficio, amicio, armo, calceo, cingo, orno, ſepio, tego, veſtio, cumulo, expleo, repleo, &c.* Cic: *Ornare aliquem beneficijs.*
   2. *Abdico, priuo, orbo, ſpolio, euerto, emûngo, &c.* Cic: *Spoliat nos iudicio, priuat approbatione, omnibus orbat ſenſibus.*
   3. *Munero, abſtineo, erudio, imbuo, inſtituo, inſtruo, informo, libero, ſoluo.* Cic: *Abſtinere ſe maledictis.*

3. Ablatiuum cum Præpoſitione *A* vel *Ab*, addito vel omiſſo Accuſatiuo, regunt Verba iſta
   1. Actiua: *Peto, poſtulo, quæſo, contendo, deſidero, rogo, oro, exoro, flagito, efflagito, poſco, expoſco, repoſco, obſecro, exigo.* Cic: *Peto à te, Vt &c.*
   2. Actiua: *Abſtineo, colligo, accipio, reporto, ſumo, arceo, libero, deterreo, adimo, cohibeo, contineo,* & omnia Verba ex *Ab* Compoſita. Cic: *Abſtinêre ſe à ſcelere.*
   3. Actiua: *Do, mitto, fero, cupio, habeo, ſeparo, diſtinguo, rapio, emo, numero, Vindico, munio, pello, moueo, tempero,* & multa alia. Cic: *Hoc à me illi dabis.*
   4. Deponentia: *Precor, deprecor, percontor, mutuor, furor,* Cic: *Virtus à Viris nomen eſt mutuata.*

4. Ver-

4. Verbum Paſſiuæ vocis recipit poſt ſe
1. Ablatiuum Agentis cum Præpoſitione *A* vel *Ab*, Hor: *Laudatur ab his, culpatur ab illis.*
2. Aliquando Datiuum loco Ablatiui. Cic: *Audita Vobis eſſe arbitror.*
3. Et retinet illum eúndem Caſum, quem habet Actiuum, excepto Accuſatiuo rei patientis, qui in Nominatiuum mutatur, vt *Frater docetur à me Grammaticam.*

5.
1. Actiua: *Agnoſco, cognoſco, audio, diſco, conijcio, intelligo, quæro, auello*; item iſta Deponentia, *Percontor, ſciſcitor*, habent Ablatiuum cum Præpoſitione *A, ab, e, ex, de*, addito vel omiſſo Accuſatiuo. Cic: *Didici ex tuis literis.*
2. Neutra: *Vapulo, Veneo, ſto, diſcedo, recedo, abſum, abhorreo, differo, diſcrepo, fio, abeo, &c.* Ablatiuum cum Præpoſitione *A* vel *Ab* admittunt. Quint: *Ab hoſtibus Venire.* Quint: *Rogatus an ab eo fuſtibus Vapulaſſet.*
3. *Mereo* vel *mereor, rixor, dimico,* Ablatiuum cum Præpoſitione *De* admittunt. Cic: *Benè* vel *malè de aliquo mereri. De lana caprina rixari.*

6. Verbum cum Præpoſitione Compoſitum; ſæpè Caſum ſuæ Præpoſitionis admittit, modò omiſſa, modò etiam repetita illa Præpoſitione. Cic: *Adire aliquem* vel *adire ad aliquem.*

## CAPVT XVI.

## De Syntaxi Verbi Infiniti Modi.

1. Infinitiuus Verbi vtrinque Nominatiuum habentis; ſi ante ſe Accuſatiuum
1. Habet, etiam poſt ſe habebit, vt *Cupio te eſſe doctum.*
2. Non habet, poſt ſe Nominatiuum, non verò Accuſatiuum habebit. Cic: *Didicit eſſe fortis.* Cic: *Studebam fieri doctior.* Sall: *Cato eſſe, quàm Videri bonus malebat.*

**2. Verbo Infiniti Modi Temporis**

1. Præſentis, Præteriti ſolet præponi aliud Verbum ſiue Finiti, ſiue Infiniti Modi. Cic: *Mores Ciuitatis dicimus ſeruari oportere.*
2. Futuri præponûntur Verba iſta: *Audio, auguror, arbitror, Affirmo, confirmo, confido, cenſeo, credo, dico, exiſtimo, ominor: opinor, &c.* Cic: *Video bellum fore.*
3. Præſentis aut Futuri præponuntur nonnulla Adiectiua: vt *Dignus, indignus, certus, aptus, ineptus, paratus, timidus.* Idem Subſtantiua; vt *Tempus, amor, ſtudium, &c.* Virg: *Certus mori.* Cic: *Tempus eſt dicere.* Virg: *Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros.* Cæſ: *Conſilium ceperunt ex oppido profugere.* Virg: *Quibus ſtudium arua tuer.* Sill: *Spes eſt fore.*
4. Cuiuſcunque præponitur Verbum *Videor.* Cic: *Videre mihi videor.* Idem, *Videor audiſſe, videor fore.*

**3. Infinitiuus qui per *Quod* exponi**

1. Non poteſt ſi cum Verbo ſibi Præpoſitio eidem Perſonæ
   1. Conuenit, nullum ante ſe Accuſatiuum habet. Cic: *Nequeo mirari. Poſſunt dicere.* Excipe *Verba Voluntatis.*
   2. Non conuenit, ante ſe Accuſatiuum habet, vt *Volo te ſtudere diligenter.*
2. Poteſt ſi præponitur illi Verbum
   1. Paſſiuum eidem Perſonæ
      1. Conueniens, nullum ante ſe Accuſatiuum habet. Iuu: *Pauper creditur fulmina contemnere.*
      2. Non conueniens, ante ſe habet Accuſatiuum. Cic: *Fertur Tarquinium dixiſſe.*
   2. Cuiûſuis Generis, alterius à Paſſiuo ferè ſemper ante ſe habet apertum vel occultum Accuſatiuum. Cic: *Dicis te audiſſe.* Virg: *Iuuat tot euaſiſſe vrbes.*

**4. *Eſſe*, cum Præponitur ei Verbum Datiuum regens ſi ante ſe Accuſatiuum apertum**

1. Habet, ſemper etiam poſt ſe Accuſatiuum habebit, vt *Regem nõ conuenit eſſe paruum:*
2. Non habet, tunc ſæpius, Datiuum quàm Accuſ: regit. Cic: *Licuit Themiſtocli eſſe otioſo.* Quin: *Non licet tibi eſſe Procuratorem.*

Pro Accuſatiuo huius vltimæ Particulæ; quibuſdam licuit vti Nominatiuo. Ouid: *Sed enim, quia retulit Aiax Iouis eſſe Pronepos.* Luc: *Tutumq; putauit, iam bonus eſſe ſocer.* Ouid: *Acceptum refero, verſibus eſſe nocens.* Catull: *Phaſellus ait fuiſſe nauium celerrimus.*

## CAPVT XVII.

## De Syntáxi Gerundiorum & Supinorum.

1. Gerundia ſuôrum Verbôrum Caſum & Syntaxin habent poſt ſe. Liu: *Ætoli conſilium cepêrunt, Lacedæmonem occupandi.*

| | |
|---|---|
| 2. Gerundio in *Di* præponuntur apertè vel occultè iſta | 1. Subſtantiua: *Tempus, locus, ſtudium, voluntas, amor, copia, facultas, poteſtas, neceſſitas, cauſa, libertas, ars, initium, &c.* Cic: *Initium dicendi.* Idem, *Cùm in animo haberem nauigandi .ſ. propoſitum.* |
| | 2. Adiectiua: *Studioſus, cupidus, perîtus, inſuétus, certus.* Cic: *Studiôſus dicendi.* |

3. Intérdum Gerundia in *Di*, pro Accuſatiuo Genitiuum Pluralem poſt ſe habent. Gell: *Cauſarum orandi cupidus.* Var: *Principium generandi animalium.* Cic: *Reliquorum ſiderum, quæ cauſa collocandi fuit.*

4. Gerundia in *Do*, nunc ſine Præpoſitiône, nunc cum Præpoſitiône *A, ab, abs, de, in, e, ex, cum, pro,* aut Nomini, aut Verbo adhærent. Cic: *Deterrent à diſcendo* Idem, *Maior gloria ex defendendo, quàm ex accuſándo paratur.* Idem, *Impiger in ſcribendo.* Quint: *Copiam conſequemur optima legendo atq; audiendo.*

5. Gerundia in *Do*, modo Actiuè, modo Paſſiuè accipiuntur. Cic: *Hos accuſando, illos occidendo, ciuitatem labefactaſti.* Virg: *Alitur vitium, viuitq; tegendo,* id eſt, *dum tegitur.* *Vrit videndo,* id eſt, *dum videtur.*

6. Ge-

6. Gerúndium in *Dum* habet ante ſe iſtas Præpoſitiónes, *Ad, inter, ob, ante, circa, propter,* & aut Nómini, aut Verbo adiúngitur. Plin: *Remedium ad refrigerándum corporum ardores.* Cic: *Res, quæ ad placándum Deos pertinet.* Quin: *Circa mouéndum valet.*

Gerúndium in *Dum* ſine Præpoſitione póſitum cum Datiuo Perſónæ aperto vel occúlto, & Verbo *Eſt,* neceſſitâtem ſignificat. Ouid: *Vténdum eſt ætate.* Plin: *Aliqua conſilia reperiendum eſt.* Coll: *Vlcera medicamentis curándum eſt.*

6. Supina in *Vm* Actiuè ſignificant, &

1. Sui Verbi Caſum habent poſt ſe. Liu: *Gratias actum nos miſit Senatus.*
2. Adiungûntur Verbis motum ad Locum ſignificantibus. Virg: *Miſimus ſciſcitátum orácula Phœbi.* Tac: *Eunt ereptum alienas pecunias.* Liu: *Venerunt queſtum iniúrias & res repetitum ſuas.*

7. Supina in *V* Paſſiuè ſignificant, & addûntur

1. Adiectiuis iſtis: *Opus, turpis, fœdus, fácilis, difficilis, lepidus, iucúndus, optimus,* & alijs. Plau: *Credulitas captu fácilis.* Cic: *O rem tum auditu crudelem! tum viſu nefariam! Opus eſt ſcitu.*
2. Subſtantiuis iſtis: *Fas, nefas:* vt *fas* vel *nefas dictu.*
3. Verbis motum de loco ſignificantibus. Plaut: *Obſonatu redeo.* Cat: *Primus cúbitu ſurgat.*

Admónitio. *Gerundia ferè omnia, ſimiliter & Supina, variè exponere, & per varias Regulas efferre atq; interpretári licet.*

# CAPVT XVIII.

## De Participiórum Syntáxi.

1. Participium ſui Verbi eiúſdem Significatiônis Caſum & Syntáxin habet, vt *Amans virtûtem, ſuperaturus hoſtem, audîtus mihi, audiéndus à me, parátus decérnere, volens abîre, vadens viſum.*

**2. Participia Temporis**

1. Prætériti & Futúri à Verbis Actiuis & à Verbo *Sum* veniéntia, Nominatiuum poſt ſe habent, licet ipſa in Vocatiuo ponântur. Plin : *Salue primus omnium Pater patriæ appellâte.*
2. Prætériti iſta : *Natus*, *prognâtus*, *editus*, *ſatus*, *genitus*, *generatus*, *creatus*, *cretus*, *ortus*, & ſimilia, ſubaudita Præpoſitione *A* vel *ex* Ablatiuo gaudent. Virg : *Sate ſanguine Diuum* pro *è ſanguine.*
3. Præſentis & Prætériti dum fiunt Nomina Genitiuum regunt. *Vide Cap.* 4. *Reg* 4.
4. Prætériti aliquando regunt Accuſatiuum Partis. Suet: *Dextrum genu lápide ictus.* Catull : *Caſtra redimitus tempora lauro.*
5. Futuri, addito Verbo Subſtantiuo *Sum*, elegânter non tam *debêre*, quàm *aliquid Futûrum*, *eſſe* aut *fuiſſe* ſignificant, vt *Sum itûrus*, *eram itûrus*, *ero itûrus*, *ſum docendus*, *eram docêndus*, *ero docêndus*.

**3. Iſtæ voces *Exoſus*, *peroſus***

1. Et *pertæſus*, quum Actiuè ſignificant, Accuſatiuum regunt. Ouid : *Tædas exoſa iugales.* Coll : *Immundam ſegnitiem peroſa eſt.* Suet : *Ignáuiam ſuam pertæſus.*
2. Dum Paſſiuè ſignificant, Datiuum recipiunt. Gell : *Dijs exóſus.*

**4. Participium in *Dus* elegantiſſimè ponitur pro Gerundio apertũ Accuſatiuum habente, in Caſu ratione Gerundij**

1. *Primi* Genitiuo, ratione *Secúndi* Datiuo vel Ablatiuo, ratione *Tertij* Accuſatiuo. Cic : *Cauſa adipiſcendarum Virtutum*, pro *adipiſcendi Virtutes.* Idem, *Legendis noſtris efficies pleniorem*, pro *legendo noſtra.* Idem, *Res ad colendos agros neceſſaria*, pro *ad colendum agros.*
2. Tertij neceſſitatem ſignificantis Nominatiuo, vel ſi addit Infinitiuus Accuſatiuo, áddito Datiuo aut Ablatiuo cum Præpoſitione *A* vel *Ab.* Cic : *Non ſunt à te Vlciſcenda etiamſi ſint dolenda.* Idem, *Non putabam à me eſſe ſcribenda.*

CAPVT

# CAPVT XIX.

## De Syntáxi Aduerbiórum penes Cáſum & Gradum Comparatiónis.

1. Advérbia Nominibus, aut Verbis, aut Participijs, aut alijs Aduérbijs adhærent. Ouid: *Qui non eſt hódie, cras minus aptus erit.*

1. Aduerbia iſta. *En* & *ecce*, modo ſine caſu, modo cum Caſu Nominatiuo, Accuſatiuo, atque Datiuo Perſonæ ponuntur. Cic: *En crimen, en cauſa.* Cic: *Ecce tibi literæ.*

2. *Satis, parum, affatim, abûnde, paulûlum, ergo, quoad, inſtar, eo, huc, interea,* Genitiuum regunt. Plaut: *Eo inſolentiæ proceſsit.* Gell: *Satis eloquentiæ, ſapientiæ parum.* Liu: *Auxiliorum affatim erat.*

3. *Vbi, Vbinam, Vbicûnque, Vbiuis, quouis, quoquo, nuſquam, longé,* hos duos Genitiuos *Gentium* & *terrarum* amant. Cic: *Vbi terrarum ſumus.*

4. *Pridie* & *poſtridie*, & ſine Caſu & cum Caſu Genitiuo, aut ſubaudita Præpoſitione *Ante* cum Accuſatiuo inueniuntur, Cic: *Pridie vel poſtridie eius die.* Cic: *Pridie Nonas Iunij*, id eſt, *ante Nonas Iunij.*

5. Hæc Aduerbia: *Congruênter, conuenienter & obuiam*, Datiuum requirunt. Cic: *Conuenienter naturæ, congruenterq́; viuere.*

6. Proximè Accuſatiuum tantùm, *Propiùs* verò Accuſatiuum vel Ablatiuum cum Præpoſitione *A* vel *Ab* recipere poteſt. Cic: *Operam dat, vt quam proximè Italiam ſit.* Idem, *Propius à terra Iouis ſtella fertur.*

7. Aduerbium iſtud *Abhinc*, tantùm Verbo Præteriti Temporis iúngitur, & modò Accuſatiuum, modò Ablatiuum habet. Cic: *Quæſtor fuiſti abhinc annos quatuordecim.* Idem, *Abhinc annis amplius, viginti ſpopondi.*

5.
1. Aduerbia Superlatiua, Plurâlem aut Genitiuum aut Ablatiuum cum præpoſitiône *Ex* admittunt. Val: *Pulcherrimè omnium fecit.* Cic: *Maximè ex omnibus eruditus.*
2. Aduerbia Comparatiua poſtulant Ablatiuum. Quint: *Expeditiùs cæteris loquitur.* Ter: *Plus anno tecum vixi.* Cic: *Lacrymâ nihil citiùs areſcit.*

6. Poſitiuo Gradui, præponuntur Aduerbia
1. In *Vm* exeúntia. Cic: *Sunt ea parum firma.* Idem, *Erat admodum amplum ſignum.*
2. Iſta: *Apprimè, longè, cumprimis, inprimis, per, perquam, valde, vehementer.* Cic: *Longè alia conditio, longè diſpar, longè diſſimilis.*
3. Iſta: *Tam* & *Quam,* ſiue ſeparata, ſiue coniûncta. Cic: *Quàm multi ſunt.* Idem, *Tam multa in Græco ſcripſit, quàm multa ſunt noſtra.*

7. Comparatiuũ Gradum
1. Regunt Aduerbia in *O* deſinentia Cic: *Quò quis verſutior, hoc ſuſpectior.* Idem, *Quantò ſuperiores ſumus, tantò nos ſubmiſſiùs gerâmus.*
2. Regunt Aduerbia iſta: *Longè, tam* & *quàm,* coniuncta. Virg: *Longè melior pedibus Lycus.* Cic: *Non tam in bellis quàm in fide firmior.*
3. Sæpiſſimè ſequitur *Quàm* Aduerbium. Cic: *Doleo te meliorem Ciuem eſſe, quàm Philoctetem.* Idem, *Hoc maius eſt, quàm vt ſcribere audeâmus.*

8. Superlatiuum Gradum amant Aduerbia iſta:
1. *Multò, longè, facilè.* Cic: *Poſt homines natos longè improbiſſimus.*
2. Duo, *Tam* & *quàm,* ſiue ambo ſimul, ſiue vnum ſine alio ponatur. Cic: *Res tam maximè neceſſaria.* Idem, *Quàm maxima voce poſſum.* Idem, *Quàm ſæpiſſimè.* Sall: *Quàm quiſq; peſſimè fecit, tam maximè tutus eſt.*

CAPVT

# CAPVT XX.

## De Syntaxi Aduerbiôrum penes Modum, Tempus & Delectum.

1. Hæc Aduerbia *Vbi, cum, ſimul, ſimulac, ſimulatq́;, quemadmodum, utcunque, ſicut, antequam, priuſquam*, vel Indicatiuum vel Subiunctiuum amant. Virg: *Hæc vbi dicta dedit.* Cic: *Simulatq́; audiero ſcribam ad te.*
2. Aduerbia *Quaſi, tanquam, ceu, perinde, atſi, haud, ſecus, acſi*, Subiunctiuo gaudent. Cic: *Quaſi non de re; ſed de voce laboretur.*
3. *Vt* pro *Poſtquam*, & pro *Quomodo* poſitum, Indicatiuum requirit. Cic: *Vt Romam redij.* Idem, *Vt ille tum humilis, vt demiſſus erat.*
4. *Ne* prohibens, Imperatiuum vel Subiunctiuum regit. Ter: *Ne metuas.* Virg: *Ne ſæui magna Sacerdos.*
5. *Vtinam* Optatiuo gaudet. Virg: *Vtinamq́; feciſſent.*
6. *Heri, dudum, pridem*, Præteritis Verborum iunguntur. Ter: *Quæ tu mihi dudum narraſti.*
7. *Nuper* & *iamdudum, iampridem, iamolim*, Præſenti & Præterito nonnunquam adduntur. Ter: *Iamdudum animus eſt in patinis.* Sall: *Iampridem vera vocabula amiſimus.*
8. *Cras* & *poſthac* Futuris ſemper, & aliquando Potentialis Modi Imperfecto & Pluſquam perfecto adhærent, vt *Cras, ibo, cras irem, cras iuiſſem.*

3. Hæc Aduerbia iunguntur Verbis ſignificantibus

1. Quietem in loco. *Vbi, hic, iſtic, illic, ibi, vbiuis, ibidem.* Cic: *Nemo eſt, quin vbiuis, quam ibi, vbi eſt, eſſe malit.*
2. Motum ad locum. *Quò, huc, iſtuc, illuc, intro, intus, eò, eodem, illo, aliò.* Cic: *Quò abis.*
3. Motum de loco *Vnde, hinc, iſthinc, illinc, inde, vndiq́;, cælitus, &c.* Ter: *Inde redeo.*
4. Motum per locum. *Quà, hac, iſtac, illac, aliquà, quàlibet, quàcunq́;* Cic: *Quàcunq́; iter fecit.*

# CAPVT XXI.

## De Syntaxi Coniunctiônum penes Modum & Ordinem.

1. Coniunctiones ſolent coniungere vel diſiungere voces aut ſententias. Hor: *Aut prodéſſe volunt, aut delectâre Poëtæ,* Cic: *Suſtulimus manus, & ego, & Balbus.*

1. *Quanquam, etſi, tametſi,* initio Commatis Indicatiuum in medio aut Indicatiuum aut Subiunctiuum poſcunt. Cic: *Etſi vereor Iudices.* Sall: *Quæ tametſi animus aſpernabatur.*
2. *Quamuis* & *etiamſi,* raro Indicatiuo. Coniunctiuo ſæpiſſimè iungûntur. Virg: *Quamuis cælo deiecit ab alto.* Cic: *Etiamſi maxima ſint.*
3. *Ni, niſi, ſi, ſiquidem, quia, quod, ne, an, num,* aut Indicatiuum aut Subiunctiuum regunt. Sen: *Si moreris, antecedo, ſi viuis ſequor.* Ter: *Viſe redieritne iam.*
4. Voces iſtæ, *Ne* affirmatiuè, *vt ne non,* negatiuè, poſitæ, poſt iſta Verba: *Timeo, metuo, vereor,* Subiunctiuum volunt, Cic: *Vereor ne poſſit reperiri.* Idem, *Timeo ne non impetrem.* Ter: *Metuo vt ſubſtet hoſpes.*
5. Voces iſtæ, *Si* & *vt,* pro *Quamuis* poſitæ, item, *ne, vt ne, quin, quo, licet,* Subiunctiuum amant. Ouid: *Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.* Plin: *Neque id feci, quo tibi eſſem modeſtus.*

3. Coniunctiones Ordinis

1. Præpoſitiui initio diſtinctionum ponuntur. Cic: *A conſtantia, atq; à mente, atq; à ſe diſceſſit.*
2. Poſtpoſitiui, nunquam initio poſituræ; ſed poſt alias voces ponuntur. Virg: *Spolia ampla refertis, tuq; puerq; tuus.*
3. Communis, poſſunt ante & poſt alias voces poni. Cic: *Ergo hinc capiamus exordium.* Idem, *Nemo ergo non miſer? prorſus nemo.*

5. Particula *Quòd* non debet poni, ſed loco ipſius
- 1. Infinitiuus poſt Verbum *Videor*. Ter: *Vidêtur eſſe ſubtriſtis.*
- 2. *Vt*, Coniunctiuo gaudens, poſt
  - 1. Verba iſta: *Rogo, iubeo, ſuadeo, ago, moneo, curo, volo, accidit*, & ſimilia; idque aut occultè, aut apertè. Cic: *Cura vt valeas.* Idem, *Velim ſcribas.*
  - 2. Infinitum: *Fore* vel *Futurum eſſe* aut *fuiſſe*. Cic: *Spero fore vt contingat id nobis.* Cæſ: *Exiſtimabant, futûrum fuiſſe, vt oppidum amitteretur.*
  - 3. Iſtas voces: *Adeo, ita, ſic, tam, tantus, tot, talis, tantopere.* Cic: *Non ſum ita hebes vt iſta dicam.*
  - 4. Iſtam interrogationem: *Quo fine?* Hor: *Vt iugulent homines ſurgunt de nocte latrones.*

6. Pro *vt non* elegantiſſimè ponitur *Ne* Coniunctiuo gaudens. Cic: *Semper id egi, ne intereſſem.*

# CAPVT XXII.

## De Syntaxi Præpoſitionum penes Caſum, & penes delêctum.

1. Præpoſitionem cum eius Caſu, aut Gerundio, frequentiſſimè regunt Nomina & Verba. Cic: *Dedi ad te literas.* Sen: *Auarus in nullum bonus, in ſe peſſimus.* Cic: *Impiger in ſcribendo.*

2. Accuſatiuum regunt Præpoſitiones iſtæ:
- 1. *Ad, apud, ante, cis circa, circum, circiter, citra, extra, infra, inter, intra, iuxta, ob, penes, per, pone, poſt, præter, propè, propter, ſecundùm, ſuprà, ſecus, trans, vltra.* Cic: *Ad iniuriam tardus.* Idem, *Eam ob cauſam.*
- 2. Erga in bonam; & *contra* in malam partem ſumptæ. Cic: *Tua erga me voluntas.* Idem, *Facere contra aliquem.*
- 3. *Aduerſus & aduerſum* in vtramq; partem ſumptæ. Cic: *Aduerſum ſe armâre aliquem.* Cic: *Pietas aduerſus Deos.*

3. Ablatiuo gaudent Præpoſitiones iſtæ
- 1. Octo: *Abſq;, cum, coram, de, pro, præ, palam, ſine*. Cic: *Homo ſine re, ſine fide*. Idem, *Hoc erit pro mercede*.
- 2. *A* & *E*, ſemperq; vocibus à Conſonânte incipientibus proponûntur. Cic: *A fronte, à tergo, à lateribus tenêtur*. Idem, *Factus à Rep.*
- 3. *Ab* & *ex*, ſed *Ab* Vocalibus frequentiſſimè, Conſonantibus verò rarò præponitur. Cic: *Paratus ab exercitu*. Idem, *Diem ex die expectare*.

1. Præpoſitio *Verſus*, Accuſatiuum regit, & ſæpius ei poſtponitur, quàm præponitur. Cic: *Romam verſus proficiſci*.
2. Præpoſitio *Abs* Ablatiuo ſeruit, & præponitur *T* & *Q* literis. Ter: *Vt abijt abs te*. Idem, *Abs quouis homine*.
3. Præpoſitio *Tenus*. Nomen Singulare in Ablatiuo; Plurale verò aut in Ablatiuo, aut in Genitiuo ſibi adiungit, ſemperque illi poſtponitur, Virg: *Capulo tenus abdidit enſem*. Iuuen: *Crure tenus*. Ouid: *Pectoribuſq; tenus*. Quint: *Aurium tenus*. Cic: *Cumarum tenus*.
4. Præpoſitiones *Ante* & *poſt*, ſubaudiuntur per Eclipſin ante hos Accuſatiuos, *Calendas, Nonas, Idus*; item, *diem*, *menſem, &c.* vt *Tertio Kalendas*, id eſt, *tertio ante Kalendas*. Cic: *Poſtridie ludos*, id eſt, *poſt ludos*.

5. Præpoſitiones iſtæ Ablatiuo gaudentes: *A, ab, in, cum, de, è, ex, pro*, ſæpè Conſtructioni deſunt per Eclipſin. Virg: *Stridens Aquilone procella*, deeſt *Ab*. Idem, *Saxum campo iacebat*, deeſt *in*. Idem, *Sate ſanguine Diuum*, deeſt *è*, *Terentius Phormione*, deeſt *in*. Plin: *Magna mortalium vtilitate & bono publico*, deeſt, *cum*.

6. Præpoſitio *In* ſignificans
- 1. Motum, vel pro *Ad, erga, contra, iuxta, pro, per, coram*, poſita Accuſatiuum regit. Cic: *Studium in aliquem*. Plaut: *Dabo te in cateam*.
- 2. Quietem, vel pro *inter* poſita, Ablatiuo gaudet. Virg: *In vrbe*. Sall: *In amicis habere*.

7. Præpo-

7. Præp: *Sub* ſigni-ficans.
1. Motum, vel pro *Per, pauloante, paulopoſt*, poſita Accuſatiuum requirit. Cic: *Sub ſcalas ſe conijcere.* Cic: *Sub eas ſtatim recitatæ ſunt tuæ.*
2. Quietem, vel pro *Ante* poſita, Ablatiuum habet. Hor: *Sub Ioue frigido.* Cæſ: *Sub oculis*, id eſt, *ante oculos.*

8. Præpoſitiones iſtæ tres: *Subter, clam,* & *procul*, aut Accuſatiuum aut Ablatiuum regunt: Virg: *Subter denſa teſtudine.* Cic: *Ne facinora clam nos eſſent.* Idem, *Clam ijs vidi.* Liu: *Locus procul muros.* Tac: *Nec procul cæde aberam.*

9. Præpoſitio *Super* poſita pro
1. *Supra, vltra,* & *inter*, Accuſatiuum habet. Virg: *Super Garamantas & Indos.*
2. *De* & *In* quietem ſignificante, Ablatiuo gaudet. Virg: *Fronde ſuper viridi.* Virg: *Multa ſuper Priamo rogitans.*

# CAPVT XXIII.

## De Syntaxi Interiectiónum.

1.
1. Interiectio *Ah*, Accuſatiuum vel Vocatiuum poſcit. Ter: *Ah me miſerum.* Virg: *Ah Coridon! Coridon!*
2. *Eheu*, Accuſatiuum amat. Ter: *Eheu me miſerum!*
3. *Hei* Datiuo vel Vocatiuo gaudet. *Hei miſero mihi!*
4. *Hem*, Nominatiuum, Datiuum, Accuſatiuum, & Vocatiuum recipere poteſt. *Hem Dauum tibi.*
5. *Heu*, Datiuo, Accuſatiuo & Vocatiuo iungi poteſt. Virg: *Heu pietas! Heu priſca fides!*
6. *O*, Nominatiuum, Accuſatiuum, & Vocatiuum admittit. Ter: *O faciem pulchram.*
7. *Pro*, Implorântis Accuſatiuo, Admirantis Vocatiuo adiungitur Ter: *Prô Deum, hominumq; fidem.*
8. *Væ*, & ſine Caſu, & cum Caſu Datiuo inuenitur. Ter: *Væ miſero mihi.*

2. Cæteræ Interiectiones Vocatiuo gaudent, & ſæpè ſine Caſu Inueniûntur. Ter: *Ohe libelle.*

3. Interdum Accuſatiuo & Vocatiuo ſubtrahit Eclipſis Interiectionem. Plin: *Hominem te ſapientem vel potius durum*, deeſt *O*.

CAPVT

# CAPVT XXIV.

## De Figúris Syntáxeos.

1. Figûra Syntáxeos, eſt modus quidam loquéndi, vel voces coniungéndi: vbi aliquid, aut deeſt, aut redûndat, aut ſuo loco abeſt, aut immutâtur.

2. Eclipſis Figûra eſt, quando vox, plenæ Conſtructióni neceſſaria ſubauditur, & nonniſi foris aſſumitur, vt *Lego*.

Declarátio. *Hic vox Conſtructioni plena neceſſaria ſubauditur, & nonniſi foris eſt aſſumenda, .ſ.* Ego, *vt ſit:* Ego Lego *item,* tértio Calendas. *Hic duârum vocum eſt Eclipſis, .ſ. Ablatiui* Die, *& Præpoſitionis* Ante, *vt ſit plena Syntaxis hæc,* tértio die ante Calendas.

3. Zeugma Figûra eſt, quando id, quod in uno cómmate deſiderâtur, ex âltero non mutâtum aſſumitur. Ter: *Obſequium amicos veritas odium parit.* Declâratio. *Hic in primo commate deſideratur vox* parit, *quæ ex altero commatè non mutata aſſumitur, ſcilicet manente eodem Numero Singulari & Perſona Tertia.*

4. Syllepſis Figûra eſt, quando vox, quæ in vno commate deſiderâtur, ex áltero aſſúmitur, mutáto áliquo Accidente .ſ. aut Genere, aut Numero, aut Perſona, &c. vt *Semper honos nomenq; tuum laudeſq; manebunt.* Declâratio. *Hic ad duo priora commata aſſumitur ex tertio vox iſta* manebunt. *ſed mutáto Numero ſic, ſcilicet,* Honos manebit, nomen manebit.

5. Enallage ſeu Heteroſis eſt, quando vnum Conſtructiônis Accidens pónitur pro álio, *v.g.* Genus pro Genere, Númerus pro Número. Caſus pro Caſu, &c. *vt Eunuchum quem dediſti nobis quas fecit turbas* pro *Eunuchus.* Accuſatiuus pro Nominatiuo. *It clamor cælo,* pro *ad cælum.*

6. Helleniſmus, eſt quando vox vna cum áltera, non ſecûndum Latinam; ſed ſecûndum Græcam Syntâxin conſtrúitur: vt. *Cœpto pugnemus amóri. Latina Syntaxis requirit, cum cœpto pugnemus amóre. Turpe ſenex miles, quia Græci Neutro. Adiectiuo vtûntur in Appoſitione. Vide Lina: lib: 6. in fine.*

APPEN-

# APPENDIX CAPITIS XXIV.

*Figurarum Syntaxeos quatuor Ordines ponunt Grammatici: aliæ enim in defectu; aliæ in exceſſu; aliæ in peruertendo Vocum Ordine, aliæ in permutatione Accidentium conſiſtunt. In primo Ordine ponuntur iſtæ, Eclipſis, Apoſiopeſis, Zeugma, Syllepſis, Prolepſis, Anapodoton. In ſecundo Pleonaſmus, Parelcon, & Epanalepſis. In tertio Hyperbaton & Species eius, Anaſtrophe, Hiſterologia, Tmeſis, Synchiſis, & Parentheſis, In quarto Enallage. Ex his omnibus quinque præcipuè Figuratam Syntaxin conſtituunt. Eclipſis, Zeugma, Syllepſis, Enallage, & Helleniſmus.*

Zeugmatis *ratione loci, tres Species ponuntur, Protozeugma, Mezozeugma, & Hypozeugma. Si vox ea quæ aſſumitur, ponitur initio, dicitur Protozeugma, vt vicit Pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Si in medio erit Mezozeugma, vt Pudorem libido, timorem audacia vicit, rationem amentia. Si in fine erit Hipozeugma, vt Pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia vicit.*

Syllepſis *fit per Accidentia iſta, Genus, Numerum, Caſum, Modum, Tempus & Perſonam. Hinc alia dicitur eſſe Generum, alia Numerorum, alia Caſuum, alia Modorum, alia Temporum, alia Perſonarum. Nam ab illo Accidente denominationem habet, quod in aſſumptione vocis mutatur,* v. g. *diligentius modo ſtudes quàm antea, hic ad ſecundum comma aſſumenda eſt vox, ſtudebas: & quia hic mutatur Tempus, ideo hoc loco eſt Syllepſis Temporum.*

Eclypſis *differt à Zeugmate & Syllepſi, quia in Eclipſi, id quod deſideratur foris eſt aſſumendum; in Zeugmate verò & Syllepſi, non foris; ſed ex proximo commate. Zeugma deinde differt à Syllepſi: quia in Zeugmate id, quod aſſumitur, non mutatur. in Syllepſi verò vox quæ aſſumitur ſemper ſuum Accidens quodpiam immutat.*

Eclipſis *eſt, communis omnium Partium Orationis .ſ. Nominis, Pronominis, Verbi, Participij, Aduerbij, Coniunctionis, Præpoſitionis, & Interiectionis.*

## Eclipſis Nominum.

*Plurima ſunt Nomina, quæ per Eclipſin, ſolent in Oratione deſiderari, qualia ſunt hæc Subſtantiua, quæ ſequuntur. Caro, dies, Febris, Homo, Familiaris vel domeſticus. Iter, Literæ, Menſis, Nauis, officium, partes, paſſus, pecuniæ, propoſitum, Tempus, templum, ſeruus, via, verba, & multa alia Appellatiua præcipuè cognatæ vel eiuſdem ſignificatïonis, vt curritur .ſ. curſus, pluit .ſ. pluuia, grandinat .ſ. grando, viuo .ſ. vitam, curro .ſ. curſum. Atſi Adiectiuo ſint determinanda iſta Appellatiua, tunc expreſsè erunt ponenda.* Quin: *vitam beatam viuere, Cucurri curſum longiſsimum.* Celſ: *Inter quadrupedes leuiſsima eſt ſuilla grauiſsima bubula .ſ. caro.* Suet: *Morbo quartanæ adgrauante ſ. Febris.* Ter: *Ita aiunt .ſ. homines, Polonus, Italus .ſ homo, & in Plurali, Poloni, .ſ. populi.* Cic: *Neminem cognoſces tuorum .ſ. familiarium.* idem *Caſtra aberant bidui .ſ. iter vel itinere.* idem *Acceperam à Lentuli triumpho datas .ſ. literas Calendis Ianuarij .ſ. menſis.* Ter: *Tuum eſt ignoſcere .ſ. officium.* idem *Non poſteriores feram .ſ. partes.* idem *Dolabellam poſtulauit repetundarum ſ. pecuniarum.* Mart: *Duo millia non piget ire .ſ. paſſuum. A pedibus, à manu, à libellis .ſ. ſeruus.* idem *Recta venit ad me .ſ. via.* idem *Paucis complectar .ſ. verbis.*

## Eclipſis Pronominum.

*Ex Pronominibus etiam nonnulla ſolent deeſſe Orationi, vt Ego, Tu, Nos, Vos, Is, Quis, &c. Lego .ſ. ego lego, audis, tu audis, ſtudetis, .ſ. vos.* Cic: *Initium dicendi, quæ vellem .ſ. ea, quæ vellem.* Virg: *Vrbs antiqua fuit Tyrij tenuere Coloni .ſ. quam Tyrij tenuere Coloni.*

## Eclipſis Verborum.

*Verba, quæ Orationi ſolent deeſſe per Eclipſin, multa inueniuntur & maximè iſta, Sum, dico, annuncio, facio, volo, decet, vel oportet, natum eſt, vel ortum eſt, canere, ſonare, ire, & multa alia. Vt vtinam hæc vera .ſ. ſint.* Cic: *Sed de his hactenus .ſ. dictum ſit. Sed hæc & multa alia coram .ſ. dicam.* idem *Atticæ ſalutem .ſ. dices vel annuntiabis. Bene Ennius, præclare Anaxagoras .ſ. dixit vel fecit. Adæquauit ſummos viros idq́; in adoleſcentia .ſ. fecit. Fidibus ſcire .ſ. canere vel ſonare, &c.*

## Eclipſis Participiorum.

*Participia nonnulla ſupprimuntur, in Oratione, vt ſoluendo non eras .ſ. ſufficiens. Epiſtola librarij manu .ſ. ſcripta.* Ter: *Panis ex iure heſterno .ſ. maceratus.* Idem, *Signa video ad ſalutem .ſ. ſpectantia.*

## Eclipſis Partium Indeclinabilium.

*Aduerbium quoque, item Coniunctiones, Præpoſitiones, & Interiectiones quaſdam ſupprimit Eclipſis. vt quadrigenteſimo anno, quàm Vrbs condita erat, deeſt Aduerbium poſt, vt ſit poſtquam condita erat. Tu velim deſinas, deeſt Coniunctio, vt reſcribas ad omnia, rogamus, deeſt vt Caue credas,* id eſt, *caue, ne credas. Terentius Phormione deeſt. Quo ſanguine cretus, deeſt, è vel ex.*

Enallage, *per quæ Accidentia fit ab illis denominatur, vt Enallage Generum, Numerorum, Caſuum, &c. Generum, vt* Plin: *Nube grauida candicante, quod vocant tempeſtatem albam, pro quam vocant, Neutrum pro feminino.* Hor: *Mammæ putres equina quales vbera, pro qualia. Numerorum, pars in fruſta ſecant, pro ſecat. Caſuum.* Virg: *Proijce tela manu ſanguis meus, pro mi. Hæret pede pes, pro pedi. Modorum, Subiunctiuus pro Imperatiuo ſæpiſſimè in omnibus Perſonis ponitur.* Ter: *Quieſcas, pro quieſce, audias pro audi; item Indicatiuus pro Imperatiuo.* Cic: *Sed valebis, meaq; negotia videbis pro vale & vide. Temporum.* Liu: *Si tales animos, in prælio habebitis, vicimus, pro vincemus, &c.*

Per Helleniſmum *iſta prolata eſſe credit.* Linacer lib: 6. Virg: *Cui nec certauerit vlla, pro cum qua.* Ouid: *Cæpto pugnemus amori, pro cum amore.* Hor: *Deſine curarum, pro à curis.* Idem, *Agreſtium regnauit populorum.* Ter: *Vt vobis decet, pro vos decet.* Virg: *Lætor laborum.* Idem, *Iuſtitiæ ne prius mirer, belline laborum. Item iſta: Os humeroſq; Deo ſimilis, Nuda genu, & faciem mutatus & ora. Cernere erat, pro licebat.* Gell: *Vt multos videre eſt, pecuniæ cupidos, pro licet videre.* Ter: *Obſerues filium, quid aget, pro obſerues, quid filius agat.* Catull: *Phaſellus ille, quem videtis ait fuiſſe nauium celerrimus.* Luc: *Tutumq; putauit tam bonus eſſe ſocer, Nominatiuus pro Accuſatiuo.*

## Aliæ verò Figuræ ſic ſe habent.

Apoſiopeſis, *eſt vocis ad Syntaxin neceſſariæ defectus, quæ fit tum quando aut ira, aut pudore, aut metu, aut religione impediti; aut gratia tranſitus ad alia, aliquid reticemus, hanc non tam Grammatici, quàm Oratores ab Eclipſi diſtinguunt. Nam Apoſiopeſis eſt Eclipſis, ſed cum maiore vehementia, & affectu, vt* Virg: *Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus.*

Prolepſis *eſt, cum dictio aliqua Pluralis Numeri, aut Singularis, ſed collectiua præcedit, & rurſus in partes diuiditur, nec tam in ipſis apertè ponitur, vt Aquilæ volant, vnà ab Occidente, altera ab Oriente. Hic dictio Pluralis .ſ. Aquilæ præcedit, & rurſus in partes diuiditur iſtas, vna & altera .ſ. Aquila, cum quibus vt vides apartè non ponitur.*

Pleonaſmus *eſt, cùm ponitur vna. vel plures voces ſine quibus poſſet ſtare Syntaxis, & ſenſus, vt* Virg: *Sic ore locuta eſt, ubi ſatis erat dicere ſic, locuta eſt: neque enim alia parte loqui poterat, niſi ore.* Ter: *Hiſce oculis vidi.*

Parelcon *eſt, cum dictio per adiectionem ſyllabæ explendi vel ornandi gratia, extenditur.* Ter: *Adeſdum ſatis erat dicere Soſia ades; ſed plenius addito dum. Item in his egomet, etiamnum. ehodum, &c. Parelcon differt à Pleonaſmo, quia Pleonaſmus accidit in vocibus declinabilibus. Parelcon verò in particulis adiectiuis.*

Hyperbaton *eſt, cum legitimus ordo vocum mutatur, vt* Teren: *Paululum da mihi opera.* Cic: *Plus habet ſuauitatis. Ad Hyperbaton reuocantur Anaſtrophe, Hiſterologia, Tmeſis, Synchcſis, & Parentheſis.*

Anaſtrophe, *eſt, dictionum, ordo præpoſterus, vt Italiam contra, pro contra Italiam, maria omnia circum, pro circum maria omnia. quem penes arbitrium eſt, pro penes quem arbitrium eſt. diu cùm eſſet pugnatum. Inſanire libet quoniam.*

Hyſterologia *eſt, cùm Præpoſitio non illi Caſui, cui ſeruit, ſed Verbo, quaſi cum eo ſit compoſita, præponitur.* Virg: *Tyriam qui ad veneris vrbem, pro qui veneris ad vrbem.*

Tmeſis *eſt, quum vox Figuræ Compoſitæ diuiditur, & inter eius partes dictio aliqua interponitur, vt* Virg: *Septem ſubiecta Trioni.* Plaut: *Sed ego ſtultus, qui rem curo publicam.*

Paren-

Parentheſis *eſt, cùm Orationi aliquid interijcitur, quo ſublato legitimus ſermo manere poteſt,* vt Virg: *Tytire, dum redeo (breuis eſt via) paſce capellas.*

Synchiſis *eſt, ordo vocum confuſior, quando ſcilicet eæ Dictiones, quæ alteri ſenſui debentur, in altero ponuntur,* vt Hor: *Lanea & effigies erat altera cerea. Ordo enim eſt. Erat lanea effigies, & altera cerea.* Idem, *Serpentes atq; videres infernas errare canes, pro videres ſerpentes errare atq; infernas canes.*

## Huc revocatur Hyppallage & Hyſteron proteron.

Hyppallage *eſt, cùm Oratio inuerſo rerum ordine profertur,* vt Virg: *Ibant obſcuri ſola ſub nocte, pro ſoli ſub obſcura nocte, & dare claſſibus auſtros, pro dare claſſes auſtris.* ſic Poloni: *Przypaſat ſie do ſzable.*

Hyſteron proteron *eſt, cùm id quod poſterius ſit, prius ponitur in Oratione,* vt Virg *Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.*

Epanalepſis *ſit, cum poſt aliqua multa interpoſita, iteramus id, quod initio collocauimus; ſiue id iiſdem, ſiue diuerſis verbis fiat.* Cic: *Noſtra enim eſt, ſi modo nos Oratores ſumus noſtra (inquam) eſt iſta omnis prudentiæ poſſeſſio. Confirmato illo de quo dubitare non poſſumus, &c. Hoc igitur probè ſtabilito & fixo; illud excutiendum eſt.*

# ANNOTATIONES
## In Regulas Syntáxeos.

1. Ordinem, *qui alias voces proponendas, alias verò poſtponendas Dictionibus eſſe docet, ſeruant Latini, potiſſimum in Præpoſitionibus, & Coniunctionibus,* v. g. *dum Præpoſitionem Tenus, non modo cum Ablatiuo conſtruunt; ſed etiam ipſam Ablatiuo poſtponunt, vt Capulo tenus, crure tenus, non verò, tenus capulo, tenus crure. Ita in his: Ille quoque, ille verò, at ille, vnus & viginti, viginti vnus, &c. Non autem ſic. Quoque ille, verò ille, ille at, vnus viginti, viginti & vnus, &c. Cuius eſt aliqua apud Polonos ſimilitudo, qui dicunt: Krol Iego Mość, non verò, Iego Mość Krol, & Iego Mość Pan Hetman; non autem, Pan Iego Mość Hetman, &c.* Delectus, *qui cum certis vocibus, certa voca-*

*ta Vocabula coniungit, docet nos eſſe dicendum è auro, ſed ex auro; non à Italo, ſed ab Italo; non amor contra te, ſed amor erga te, non omnis doctiſſimus, ſed quiſq; doctiſſimus; non quilibet noſtri, ſed quilibet noſtrûm; non memor Veſtrûm, ſed memor Veſtri, &c. Huc, Vel ad cognatam ſignificationem, Aduerbia loci Videntur eſſe reVocanda, Vt non, Vbi Vadis? ſed quò Vadis? non eas ibi, ſed eas illuc: non Venit hic, ſed Venit huc, &c. Simile quid apud Polonos Videbis, Vt Ieſt w Kràkowie, non Verò, ieſt ná Kràkowie rurſus, Ieſt nâ Kleparzu, non Verò, Ieſt w Kleparzu. Szedł ná pole, Vel w pole, non Verò Szedł do pola, contra Verò, Szedł do láſá, non autem, Szedł ná lás, &c.*

2. Et ſi inter *Conuenientia & Regiminis Syntaxin, nulla Videtur eſſe differentia: Vbi enim eſt Syntaxis Conuenientiæ, ibidem etiam eſt Regiminis, & è contrà. Nam* v. g. *hæc Syntaxis, ( ad Deum ) dicitur Regiminis, & tamen hîc eſt Conuenientia Vocum, quia non pugnant inter ſe, aliàs enim eſſet Solecismus. Hæc Verò altera ( Scamnum breue ) Vulgò Vocatur Conuenientiæ; & tamen hic eſt Regimen: Nam dictio ( Scamnum) præſcribit legem Accidentium huic alteri ( breue) Dictio autem præſcribens Accidentia, eſt Dictio Regens, altera Verò cui præſcribuntur, eſt Recta, Vbi autem eſt Dictio Regens & Recta; ibi eſſe Syntaxin Regiminis eſt concedendum. Tamen ſtrictius iſta conſiderando, Syntaxis Conuenientiæ differt à Syntaxi Regiminis: Vt Videre eſt in Vtriuſq; Definitione. Syntaxim penes Modum, penes Tempus, & penes Gradum Comparationis, dicimus eſſe Regiminis, licet ſtrictiſſimè loquendo, ſola Syntaxis penes Caſum, ſit dicenda Regiminis: Hæc enim cæteris omnibus latius patet.*

3. Per Verbum Finiti *Modi, intellige tam Perſonale, quàm Imperſonale, quia Imperſonalia habent ante ſe Nominatiuum, quod idem ſentit Priſcianus, & Linac: lib:* 3. *in Ecclipſi Appellatiui Vt pluit, ſupple, pluuia pluit; ningit, id eſt, nix ningit, &c. Iſte tamen Nominatiuus non exprimitur ideo, quia ita certus eſt; Vt de illo nemo dubitare poſſit. Nam* v. g. *( Tonat ) ſi Metaphoricè non ſumatur, certum habet Nominatiuum, [illegible]imirum (tonitrus) quia nulla alia res dicitur tonare, præter tonitrum. Quod ſi Verò tonitrui non conuenit tonare,, ſed Deo, Vt quidam ſentiunt, adhuc tamen certus eſt Nominatiuus ( Deus)*

*At Ve-*

*At vero in Verbis Perſonalibus Tertiæ Perſonæ, quoniam multi occurrunt Nominatiui, ideò eſt aliquis certus eorum exprimendus, vt à quo Verbum Tertiæ Perſonæ dependeat, & cui attribuatur, & de quo Logicè enuntietur, ſcire poſſimus. Adeò autem eſt certum, Imperſonalia ante ſe habere Nominatiuum, vt etiam illa eadem in Plurali Numero, cum ipſo apertè ponantur, vt videre licet apud Authores. Virg: Non omnes arbuſta iuuant. Cic: Beneficia quæ ad ſingulos ſpectant. Hæc ſex: Pœnitet, pudet, piget, tædet, miſeret, & miſereſcit, apertè Nominatiuum habere docet Linacer lib: 4. Marti: Te non pudet iſtud. Ter: Non te hæc pudent. Plau: Hæc me conditio non pœnitet. Neque miretur quiſpiam, hæc apertè habere Nominatiuum in Perſona Tertia, quum eum, in Prima & Secunda olim habuerint. Verba enim, quæ nunc ſunt Imperſonalia, apud veteres erant Perſonalia, eo modo quo nunc eſt Scribo, lego, audio, dico, aut aliud Verbum Perſonale; quod non eſt difficile ex Authoribus cognoſcere. Virg: Arcadij miſereſcite Regis. Plaut: Loquere Nomen tuum adoleſcens, niſi piget. Gell: Cùm ſatigati pertæduiſſent, &c. Sciendum tamen eſt, hæc verba ſex, frequentiùs per Figuram, quàm ſimpliciter efferri, ſiue illa ſit Antiptoſis, Genitiui pro Nominatiuo; ſiue Ecclipſis Appellatiui, in Nominatiuo ponendi: quod ſubauditur, à quo Genitiuus iſtis Verbis expreſsè adiunctus regitur. Sed de his diſputent Doctores; Studioſi illo Quintiliani ſint contenti. Inter virtutes Grammatici habebitur aliqua neſcire, Imperſonalia Paſſiuæ vocis, etiam ante ſe habent Nominatiuum, idemq; placet Linacro lib: 4. & 6. idq; aut apertè, aut occultè, apertè, dum eſt incertus, occultè verò, dum eſt certus: Hic notandum à Verbis Actiuis fieri Imperſonalia, tunc quando in voce Actiua, ſine Caſu Accuſatiuo ponuntur, vt à Scribo, ſcribis, ſcribit, ſcribimus, &c. fit ſcribitur. Cui Ablatiuus agentis, ſi eo opus eſt (ſæpè enim omittitur) eius Perſonæ & Numeri tribuatur: cuius eſſet in Actiuo Nominatiuus, vt ſcribitur à me, quia actiuè ſic diceres, ego ſcribo. Idem eſto iudicium, de ijs Imperſonalibus, quæ à Neutris oriuntur, vt egetur, ſeruitur. Quo loco ſi contingat aliqua difficultas, ſtatim confugiendum erit ad veteres, apud quos Verba iſta, quæ modo ſunt Neutra, & abſoluta fuerunt Actiua. Imperſonalibus Paſſiuæ vocis, aliquando & Nominatiuus, & Ablatiuus ſimul apponitur, aliquando ambo omittuntur, aliquando etiam vnus tantùm eorum, vel apponitur,*

*tur vel omittitur, quod patet ex Actiuo, qui enim Caſus exprimeretur in Actiuo, ille exprimi debet, in Paſſiuæ vocis Imperſonali. Tunc autem potiſſimum Verbum erit Imperſonale, quum nec Nominatiuum, nec Ablatiuum ſibi apertè adiunctum habebit, vt bibitur, editur, &c.*

4. *Plures Nominatiuos copulatos, ſupp. apertè vel occultè; & qualicunq; Copula, ſiue illi fuerint Singularis, ſiue Pluralis, ſiue Mixti, id eſt, vnus Numeri Singularis, alter verò Pluralis: Copulam hic intelligimus, & quæ ſit per Coniunctiones, & quæ ſit per Præpoſitionem (cùm) Verùm occurrente copula (cùm) vſitatiùs loquimur ſi Caſus Illius neglecto, Verbum cum Nominatiuo; Adiectiuum verò vel Relatiuum, cum Subſtantiuo altero in alio Caſu poſito, in eodem Numero & Perſona; item in Genere, Numero, & Caſu coniungemus, quia,* v. g. *quoad Numerum, Latinè loquimur, (Petrus cum Paulo cantant.) Nam etiam Virgilius ita locutus eſt. (Remo cum fratre Quirinus iura dabant) tamen magis Oratoriè dicemus (Petrus cum Paulo cantat) vt Cicero dicit (Domitius cum Meſſala certus eſſe videbatur) Sic quoq; quoad Perſonam, bona erit, licet rara Syntaxis (Tu mecum ſcribemus) vt Virgilius loquitur (Diuellimur inde Iphitus & Pelias mecum) tamen melior erit iſta (Tu mecum ſcribes) vt dicit Cicero, (animum tuum mœrori mecum dediſſes.) Ita etiam, efferes Adiectiuum (ſunt mihi ſoror cum matre mortuæ) ſæpius tamen ſic (ſoror mihi cum matre eſt mortua) vt Cicero (occiſus eſt cum liberis Fuluius.) Item quoad Genus digniùs rectè dicitur (mater mihi cum patre ſunt mortui) vt Ouidius (Ilia cum Lauſo de Numitore ſati) tamen frequentius ſic) Mater mihi cum Patre eſt mortua.) interdum tamen in quibuſdam exemplis, ne aliquod dubium fiat, omnino habenda eſt ratio vtriuſq; Subſtantiui, etiam illius, in Ablatiuo poſiti, & quoad Genus, & quoad Numerum, vt hic (Iuno cum Minerua triſtes redeunt) ita enim certum eſt, & hanc & illam triſtem fuiſſe, iam ſi dicatur (Iuno cum Minerua triſtis redit) poſſet intelligi ſolam Iunonem fuiſſe triſtem, & Mineruam lætam. Illud quoq; eſt notandum, Adiectiuum huius loci, in Caſu non debere conuenire cum Subſtantiuo, quod in Ablatiuo ponitur; ſed cum altero, in alio Caſu collocato.*

5. *In hac Regula duæ ſunt Figuræ, Syllepſis, & aliquando Zeugma.*

6. Di-

6. *Dicitur cum digniore .ſ. Nominatiuo aut Ablatiuo; Ille autem Nominatiuus aut Ablatiuus eſt dignior, qui eſt Perſonæ dignioris. Hæc Regula continet in ſe ſolam Syllepſim. Cic: Hæc ſi neq; ego, neq; tu fecimus, &c. Per hanc Regulam excuſabimus illos modos loquendi. Tu mecum ibimus, Frater tecum ſtudetis, Pater vobiſcum venietis, à quibus præſtat abſtinere.*

7. *Per membrum Orationis intelligitur ſenſus, vel comma aliquod, ſiue Oratio quæpiam, conſtans Verbo & Nomine ſimul vel aliqua parte Orationis illorum vni, vel vtriq; adiuncta, vt, ſatis teſtium eſt. In tempore veni, quod omnium eſt primum. Vide Linacrum lib: 3. Primæ, Tertiæ, & Quartæ Commune.*

8. *Ouidius, Vxor, & inſidiæ, ſunt pudor ille meæ: Ter: Dos eſt Pamphile, decem talenta. Val: Dotis modus, quadraginta millia æris fuit. Tac: Præcipuum robur duæ legiones erant. Mart: Alea parua nuces, & non damnoſa videtur. Plin: Nota argenti fuère bigæ, atque quadrigæ. Plin; Anguſtiæ, vnde procedit, Iſthmos appellatur. Cic: Conſulatus fuit initium, ludi Compitalitij. Luc: Omnia Cæſar erat. Ouid: Omnia pontus erat. Luc: Sanguis erant Lachrymæ. Ouid: Domus antra fuerunt. Idem: Gaudia principium ſunt noſtri doloris. Vide Linac: lib: in fine Enallages.*

9. *Hæc Regula ſub talibus etiam Verbis concipi poteſt. Vna vox ſumpta, pro alia, aliquando ſuum Genus, aliquando Numerum, aliquando vtrumq; ſimul abijcit, & aſſumit illius vocis, pro qua ponitur, ſicq; cum ipſo, alienum Accidens habente. 1. Verbum. 2. Adiectiuum. 3. Relatiuum concordat. 1. Ouid: Veſtras quiſq; redite domos. Id. Vterq; læſi ſumus. Virg: Pars in fruſtra ſecant. Plin: Maior pars ferarum æſtate non bibunt. Ouid: Populus ſuperamur ab vno. Stat: Huc omnis turba coimus. Stat: Subeunt Tegeæa iuuentus, auxilio tardi. Ouid: Albula pota Deo .ſ. aqua. Liu: Samnitium tria millia cæſi. Virg: Pars merſi. Ter: In Eunuchum ſuum .ſ. Fabulam. Ouid: Pars volucres factæ. Lin: l. 6. in Enallage Numerorum, & in fine Syllepſis.*

10 *Adiectiuum ſiue ſit Nominis, ſiue Pronominis, ſiue Participij Partis.*

11. *Quum loco Regulæ primæ Cap: 2di. vti volueris Regula 2da. Cap: 4ti. Subſtantiuum vertas in Genitiuum, & Adiectiuum Ipſum fac eſſe Neutrum hoc modo. Minor ſapientia, minus ſapientiæ;*

*entiæ, multa eruditio, multum eruditionis: paulula opera, paululum operæ: maior eloquentia, plus eloquentiæ: item, Quis animus, quid animi: id tempus, id temporis: abdita res, abdita rerum: anguſtæ viæ, anguſtá viarum, &c. Lin: Lib:* 3. *Secundæ & Tertiæ Commune, Adiectiua Partitiua, &c. per hanc & per Cap:* 4. *Reg: quintam efferes. Vide eius Ann.*

12. *Copulatis. ſ. apertè vel occultè, & qualicunq; copula ſiue illa fuerint animata, ſiue inanimata, ſiue mixta, ſeu Numeri Singularis ſeu Pluralis; ſiue conſiderentur ratione Generis, ſiue ratione rerum ſignificatarum.*

*Subſtantiua plura ratione*
- 1. Generis
  - 1. *Eiuſdem*
    - 1. *Maſculini*,
    - 2. *Feminini*,
    - 3. *Neutri.*
  - 2. *Diuerſi.*
  - 1. *Animata*, a, d, g, k.
  - 2. *Inanimata*, b, e, h, l.
  - 3. *Mixta*, c, f, i, m.
- 2. *Rerum Significatarum.*
  - 1. *Animata*,
  - 2. *Inanim:*
  - 3. *Mixta.*
  - Generis
    - 1. *Eiuſdem*
      - 1. *Maſcul:* n, r, x.
      - 2. *Femin:* o, ſ, y.
      - 3. *Neutri*, p, t, z, q, u, aa.
    - 2. *Diu.*

*Exempla* a. *Liu: Hippocrates & Epicides nati Carthagine.* b. *Ouid: Sors eadem Iſmarios Hebrum cum Strimone ſiccat.* d. *Ouid: Non mihi veniſtis Semele, Ladeue docendæ. Apuel: Iuno cum Minerua triſtes videbantur.* e. *Quin: Grammatice & Muſice quondam iunctæ fuerant.* (f, g, h, i,) k. *Ouid: Mulciberis capti Marſq; Venusq; dolis.* l. *Val. Pedes eius pretioſos, & caput & manus, in ciſta chlamide opertos, pro munere miſit. Plin: Seriores prædictis Narciſſus & Lilium.* m. *Vir: Cæſoſq; reportant Almonem puerum, fœdatiq; ora Galeſi. Ouid: Iane fac æternos, pacem, paciſq; miniſtros. Cic: Propter & Doctoris authoritatem & Vrbis, quorum alter te ſcientia augere poteſt: altera exemplis.* n. *Soli: Polipus & Chamaleon ſunt glabra.* (o, p,) q. *Plin: Mollia ſunt, loligo, ſepia, & Polipus. Cæſ: Leporem, gallinam, & anſerem guſtare fas non putant, hæc tamen alunt,* r. *Cic: Comprehendimus, calorē, ſaporē, odorē, ſonū,*

quæ

*quæ nunquam animus cognoſceret* (ſ. t.) u *Liu: Labor & voluptas ſocietate connexa. Cic: Vt operam, fidem, ſtudium, conſilium ſibi paratą putent. Cic: Bella, cædes, rapina, & diſcordia ciuilis grata fuerunt. Plin: Nouacula & ferrum piſce tacta olent,* (x) y. *Ouid: Careo patriâ & coniuge chara; & quidquid mihi poſt hæc duo dulce fuit.* (z) aa. *Cic: Repetebant præterea, Deos, Penates, aras focos, Larem familiarem, in quæ tu inuaſeras. Ad alias literas nulla potuimus exempla inuenire.*

13. *Antecedens eſt id, quod prius ponitur, ſiue ſit vnum vocabulum ſiue membrum Orationis: Relatiuum verò eſt, vox quæ rem ſeu vocabulum prius poſitum commemorat, & rurſus in mentem reducit. Porrò Relatiua ſunt iſta* (*Qui, quæ, quod, hic, iſte, ille, ipſe, is, idem.*) *Antecedens iterare eſt ipſum bis ponere, primò ante Relatiuum, ſecundò poſt Relatiuum; & non cum prius ſed cum poſterius poſito Antecedente in Genere, Numero, & Caſu concordabit Relatiuum, Antecedens iterare apertè multi ſolent Authores.*

14. *Regula* 5. *Cap:* 4. *Adiectiua iſtius Regulæ, debent eſſe eiuſdem Generis cum Genitiuo Plurali, vt Lanarum nigræ, niſi aliud Subſtantiuum addatur, vt villoſiſſimus animalium lepus, &c. Vbi eſt Ecclipſis vocum, vt (ſolæ auium) deeſt (aues) & de (numero) quia plena Syntaxis eſt iſta (ſolæ aues de numero auium) fit autem id per Helleniſmum. Lin: lib:* 6. *initio Helleniſmi, & lib:* 3. *de Partitiuis. Hanc Regulam efferes etiam per Primam Capitis ſecundi, vt plani piſcium, plani piſces. Exempla huius Regulæ. Hor: Dulciſſime rerum. Plin: Surdis etiam rerum ſua cuiq; ſunt remedia. Idem, in capite paucis animalium niſi volucribus apices. Idem, Canum degeneres, &c.*

## De Reciprocis.

1. *Reciprocum* Sui & Suus, *aliquando pro ſe, aliquando etiam pro Relatiuo* Ille *vel* Ipſe *ſumitur.*

2. *Reciprocum ſumitur pro ſe. Primò: quando ad Verbi Infiniti Accuſatiuo priorem Tertiæ Perſonæ refertur, vt Puto Petrum fauere ſibi. & audio Paulum iraſci fratri ſuo. Secundò: Quando ab aliquo Adiectiuo cohærente cum Subſtantiuo Tertiæ Perſonæ regitur, aut aliquo modo dependet, vt Vidi Paulum calefacientem ſe, & Vidi Paulum euntem ad ædes ſuas. Tertiò, Quando cum Verbo Tertiæ Perſonæ poſitum ad Nominatiuum illius Verbi refertur; vt Paulus laudat ſe & Parentes ſuos. Hoc Reciprocum etiam in Actiuo debet retineri.*

3. *Reciprocum ſumitur pro Relatiuo* is, ille, ipſe, *Primò: Quando à Verbo Primæ aut Secundæ Perſonæ regitur, aut ſaltem cum ipſo in eadem Clauſula ponitur; Vt Petrus me rogat, Vt ſe commendem, id eſt, Vt illum commendem; & frater hortatur, Vt redeas domum ſuam, id eſt, domum illius. Secundò: Quando à Verbo Tertiæ Perſonæ regitur, Vel cum ipſo in eodem commate ponitur, nec tamen ad Nominatiuum illius Verbi refertur: Vt Petrus ſcripſit ad Regem literas, in quibus rogabat ſuam Regiam Maieſtatem: &c. Parentes ea amouent à liberis quæ ſibi nocent, id eſt, illis liberis.*

4. *Duabus Tertijs Perſonis, ad quas poteſt referri poſſeſſio, Vna in Recto, altera in Obliquo concurrentibus; ſi in Obliquo poſitæ non additur Adiectiuum, à quo poſſeſſio dependeat, tunc Perſonæ in Recto poſitæ poſſeſſio per Reciprocum, alterius Verò per Genitiuos (Eius, Illius, Ipſius,) amphibologiæ Vitandæ cauſa eſt exprimenda, Vt Petrus amat Paulum propter Virtutẽ ſuam, quia hic Virtus poſſidetur à Petro. at Verò ſi poßideatur à Paulo dicendum erit ſic: Petrus amat Pau: propter Virtutem eius. Si Verò Perſonæ in Obliquo poſitæ, additur Adiectiuum à quo poſſeßio dependeat, tunc poſſeßio eius per Reciprocum, alterius Verò per Genitiuos exprimetur, Vt Petrus percußit Paulum calefacientem manus, reſpectu Petri, manus eius, reſpectu Pauli, manus ſuas.*

5. *Dum tres Tertiæ Perſonæ, ad quas fieri poßit poſſeßio, concurrunt, Vt hic, Petrus iraſcitur Paulo, quòd Stanislao non reddidit librum, hoc modo Vitabis Amphibologiam, ſi liber eſt Petri, tum Genitiuo Vteris Relatiui .ſ. quod Stan: non redd: librum ipſius. Si liber eſt Pauli, Vtere Reciproco ſic: quod Stanislao non reddidit librum ſuum. Si liber eſt Stanislai, tunc bis ponas Vocem Stanislai .ſ. quòd Stanislao ipſiuſmet Stanislai librum non reddidit.*

6. *In quo loco Reciproca, pro Relatiuis ponuntur, in eo, ipſamet Relatiua poni poſſunt, & pulchrius quidem aliquando: præcipuè cùm ad Obliquum referuntur, Vt Præceptor ea docet Diſcipulum, quæ ſibi proſunt, Vel quæ illi proſunt. Reciproca Vtamur in talibus. Cepi auem cum pullis ſuis. Percuſſiſti fratrem gladio ſuo. Sua ſæcula riſerunt Meonidem. Suis criminibus illum accuſabo, &c. quia Verſa in Paßiuam Syntaxin retinent idem Reciprocum omnino.*

7. *Ad*

7. *Ad quid referatur Reciprocum (Suus) indicabit hæc interrogatio (Cuius) addita Subſtantiuo, cum quo cohæret (Suus) vt Vidi Pulum & Fratrem ſuum, Cuius Fratrem? Reſpondetur, Pauli. Inde apparet (ſuum) referri ad Paulum. Item, ad quid referatur (ſui) indicabit interrogatio Quis, quæ, quid.*

*Atque ſanè ex his cognoſci poteſt, quàm malè de Grammatica illi ſint meriti, qui Secundæ Perſonæ, quaſi honoris cauſa, dicunt. Rogo Dominationem ſuam, pro Rogo Dominationem tuam, quos omnes iuſtè hic à nobis reprehendi ſcias: Nam Verba, quæ proferunt, non id ſonant quod ipſi volunt, ſed aliud: dicere enim, Dominatio ſua veniat, eſt dicere, illius Dominatio, quaſi alicuius tertij, vel ille Dominus veniat.*

*Cauſa iſtius erroris eſt hæc: quia, à qua Perſona res poſſidetur ab illa poſſeſſiuum huic rei poſſeſſæ addendum debemus deriuare, ſi poſſidetur à prima Perſona, voce Meus vel Noſter: ſi à Secunda voce Tuus vel Veſter? ſi à Tertia voce Suus vel Genitiuis, Eius, Ipſius, Illius, &c. erit vtendum. Et quoniam hæc vox (Dominatio poſſidetur à Secunda Perſona, dum illam alloquimur: ideò illi non Sua; ſed Tua opus eſt addere poſſeſſiuum. Neq; excuſas, dum dicis, multos aliter, quàm nos docemus, loqui: Nam etiam contra iſtos omnes hæc à nobis ſcribuntur. Quinimmo nec illud valet quidquam dum ais, hanc vocem Dominatio eſſe Tertiæ Perſonæ: quia & nos hoc idem fatemur. Omnia enim Nomina ſunt Tertiæ Perſonæ & quia Dominatio eſt Tertiæ: ideò illi non modò verbum Tertiæ Perſonæ? ſed etiam Suus adiungimus, etiam tunc, quando illi additur Mea, Tua, &c. vt Tua Dominatio det mihi ſuum librum, Ecce (det ſuum) Atque hoc fit non quatenus Dominatio eſt res poſſeſſa; ſed quatenus eſt nomen ſeu res poſſidens. Quamobrem, quo Pronomine Primitiuo vteremur loquendo per concretum; eo vtamur loquendo per abſtractum, vt tu Domine fuiſti, tua Dominatio fuit. Tu Pater ores, Tua vel Veſtra Paternitas oret. Tu Generoſe Domine dicas, Tua Generoſa Dominatio dicat, Vos Domini fuiſtis, Veſtræ Dominationes fuerunt, &c. Hoc idem dictum puta eſſe de iſtis, Sanctitas, Maieſtas, Celſitudo, Excellentia, &c. Quod ſi quis alias honoris voces habet aptiores, quæ, .ſ. cum Verbo occurrenti habeant affinitatem; tunc is multò adhuc elegantiùs loquetur, vt Tua Clementia ignoſcat mihi, Veſtra liberalitas donet mihi, &c.*

## Ratio Supplendi Tempora Verborum.

*VErba Paſsiua Deponentia, Communia, Neutropaſſiua, Imperſonalia vocis Paſsiuæ in omnibus Modis Perfecto, Pluſquam Perfecto, & Futuro Subiunctiui videntur carere proprio: in locum tamen eorum habere ſolent alia ſubſtituta, quæ ſunt ex Præterito Participij, & Verbo* Sum *compoſita. Partes autem Iſtorum Temporum ex quibus componuntur, iuxta certas Regulas Syntaxeos ſunt conſtruendæ: Et Participium quidem tanquam Adiectiuum iuxta Regulas Cap: 2. Quod in Verbis Perſonalibus Genus & Numerum à Subſtantiuo aliquo ſortietur, in Caſu autem Nominatiuo ponetur Excepto, ſi* eſſe *vel* fuiſſe *addatur: eo enim tempore in Accuſatiuo erit collocandum. Verbum verò* Sum *in Modis Finitis per Regulas Cap:* 1. *& maximè per Regulæ* 4. *membrum primum: in Infinitiuo verò per Cap:* 16. *Reg:* 1. *Porrò quomodo Verbum* Sum *ſit per modos, Tempora, Numeros & Perſonas variandum, habes in Tyrocinio .ſ. in Indicatiuo Perfecto Sum vel fui, es vel fuiſti, &c. in Pluſquam Perfecto, Eram vel fueram, &c.*

*Futurum Infinitiuum Paſsiuum ſuppletur.*

Primò, *Ex* (iri) *& voce ſimili Supino, quæ vox cuiuis Generi & Numero ſine mutatione eſt addenda, vt Scio puerum doctum iri, Scio fratres doctum iri, Scio ſorores doctum iri, Scio aues captum iri.*

Secundò, *Ex Futuro Participij* (dus) *in Accuſatiuo, mutatis Numeris, & Generibus, additóq;* (eſſe *vel* fore *vel* fuiſſe) *vt Dicis matrem eſſe amandam, Puto pueros eſſe docendos, Scio literas à te fuiſſe ſcribendas.*

Tertiò, *Ex Præterito Participij in Accuſatiuo mutatis Numeris & Generibus, & addito* (fore) *vt Puto fratrem commendatum fore, Scio literas ſcriptas fore.*

Quartò, *Ex* Fore *aut* Futurum eſſe *vel* fuiſſe, *& Particula* (vt) *addito Verbo occurrenti Paſſiuo in Coniunctiui Præſenti ſi res eſt adhuc futura, vel Imperfecto ſi iam eſt præterita, vt Spero fore vt commenderis, Scio futurum eſſe vt lauderis. Cæſ: Sperabant futurum fuiſſe vt amitteretur oppidum.*

*Futu-*

*Futurum Infiniti Modi cuiuslibet Verbi præter Paſſiuum ſuppletur dupliciter.*

*Primò. Ex futuro Participij in* Rus *in Accuſatiuo poſito, mutatis Numeris & Generibus, additoq;* Eſſe *vel* fuiſſe *vel* fore, *vt ſpero matrem eſſe venturã. ſcio pueros fore lecturos, ſperabã fratrẽ eſſe iturũ.*

*Secundò. Ex* Fore *aut* Futurum eſſe, *vel* Futurum fuiſſe, *& Particula* (vt) *adiuncto Verbo occurenti in Coniunctiui Præſenti & aliquando Imperfecto, vt Spero fore vt pluat, ſpero futurũ eſſe vt ſtudeatis, ſperabam futurum fuiſſe vt ningeret, &c.*

*In Circuitionibus iſtis Participio Futuri tunc erit addendum* ( eſſe *vel* fore ) *quando loquimur de re futura, vt eſt adhuc futura, vt ſpero te eſſe commendandum, ſcio pueros fore verberandos.*

( Fuiſſe ) *verò tunc, quum loquimur de re præterita vt erat futura, vt Sperabam te fuiſſe commendandum.*

*Iſti Infinitiui duo,* Eſſe *&* Fuiſſe, *in qualibet circuitione tam Præteriti, quàm futuri, aliquando apertè, aliquando etiam occultè ſolent ab Authoribus poni, vt Fœdiſſimum bellum puto futurum, deeſt* Eſſe.

*Infinitiuus cum ijs omnibus, quæ ipſum præcedunt & ſubſequuntur aliquando ponitur pro Nominatiuo, aliquando etiam pro Accuſatiuo. Pro Nominatiuo ponitur hic : Pro Patria mori eſt pulcrum, eximia virtus eſt præſtare ſilentia rebus, &c. Pro Accuſatiuo ponitur in his Exemplis : Scio legere. Volo ſtudere, audio te veniſſe, ſpero te eſſe lecturum, &c. De Gerundiorum & Supinorum expoſitione aliàs.*

## De Ordine Grammatico.

*Ordo Grãmaticus*

1. *Eſt Verborum artificiosè ab Authoribus collocatorum ad ſuum locum reuocatio, & quædam diſpoſitio ; quam quidem diſpoſitionem ſolent Grammatici explicando Authores obſeruare propterea, vt meliùs ſenſum Verborum poſſint percipere. Hic docet quod vocabulum primo loco ſit ponendum ? quod ſecundo ? quod tertio ? quod quarto ? &c.*

2. *Septem Loca, ſeu ſeptem habet Regiones. In prima Regione poni ſolet Vocatiuus cum his omnibus quæ ipſum præcedunt & conſequuntur. In ſecunda Aduerbia & Coniunctiones maximè quæ Modum regunt. In tertià Nominatiuus, vel id quod eius loco ponitur, cum ſuis omnibus additionibus. In quarta Verbum Finiti Modi cum determinante Aduerbio. In quinta Accuſatiuus*

*uus ante Infinitiuum cum ſuis attributis. In ſexta Infinitiuus cum Aduerbio. In ſeptima Caſus obliqui poſt Verbum, Vt hæc Oratio. Etſi, frater mi amantiſſime Paule, Vir clariſſimus Parens tuus, Me nepotem ſuum, Artibus liberalibus Cracouiæ in Academia diligentiſſimè ſtudere cupit Vehementer, ſic eſt ordinanda. O Paule frater mi amantiſſime. 2. Etſi. 3. Parens tuus Vir clariſſimus. 4. Cupit Vehementer. 5. Me nepotem ſuum. 6. Studere diligentiſſme. 7. Artibus liberalibus Cracouiæ in Academia.*

NOTA

1. *Hunc Ordinem poſtquamlibet Periodum, & duo puncta rectè aſſignata eſſe renouandum.*
2. *Ex his ſeptem regionibus, tantùm tertiam & quartam eſſe perpetuam.*
3. *Eclipſin & Syllepſin ad ſimplicem in Ordine Grammatico tranſire Syntaxin.*
4. *Ordinem Grammaticum facilè percipi poſſe per Interrogationes inter explicandum formatas.*
5. *In Ordine Grammatico ante omnia Videndum eſſe Verbum, tandem quid ante & poſt ipſum ponatur.*
6. *Verbum Vtrinq; Nominatiuos habens, inter ipſos eſſe collocandum, Vt Res eſt facta.*
7. *Cuiuslibet Regionis Voces hunc ſpecialem inter ſe requirere Ordinem .ſ. Vt præponatur. 1. Vox declarata declaranti, ſeu determinata determinanti, Vt Mater mea, equus regius. 2. Determinans non determinanti, Vt Carus maximè mihi. 3. Regens Rectæ, Vt Amo Deum. 4. Abſoluta Tranſitiuæ, Vt Domus interior ſplendida luxu. 5. Proprius Caſus Communi: Vt Studere literis Cracouiæ. 6. Prior Caſus poſteriori, Vt Dedi fratri, librum. 7. Negatio Voci negatæ, Vt Nunquam fui. 8. Coniunctio Aduerbio, Vt Etſi non dubito.*

*Excipe hinc Voces. 1. Interrogatiuas, Vt Quem Vidiſti? 2. Negatiuas, Vt Neminem Vidi. 3. Relatiuas, Vt Liber, quem habeo eſt tuus. 4. Eas quarum Subſtantiua apertum poſt ſe regunt Obliquum, Vt Exiguum curriculum Vitæ. 5. Caſus breues reſpectu longiorum; Vel Relatiuum poſt ſe habentes, Vt RenouaVit Veterem curam animi, mihi inſtituenti referre & mandare libro huic tertio ſermonem eum, quem Craſſus habuiſſet.*

GRAM-

# GRAMMATICARVM INSTITVTIONVM.

# LIBER IV.

## DE Proſodia, ſeu Verſificatione.

*Vbi ea, bréviter & apto órdine referûntur atque recensèntur; quorum cognitio, non modò adſcribênda Carmina, & faciéndos Verſus, verùm étiam ad rectam Voces Latinas pronuntiándi rationem, eſt vtilis & omninò neceſſaria.*

PROSODIA EST PARS GRAMMATICÆ, in qua Syllabârum Quántitas, Pedes métrici, Cárminum Génera & Accidentia tradûntur.

# CAPVT I.

## De Literis & Syllabis.

1. Literæ ſunt dúplices: *Vocales & Conſonántes.*
2. Vocales ſunt ſex: *a e i o u y.* Ex his fiunt ſex Diphthongi, *ae au ei eu œ yi.* ut *præmium, aurum, hei, euge, pœna, Harpyia.*
3. Conſonántes ſunt dúplices: *Mutæ & Semiuocales.*
4. Mutæ ſunt octo: *b c d g k p q t.*
5. Semiuocáles ſunt octo: *f l m n r ſ x z.*
6. Mutæ à Semiuocálibus dífferunt, quia in prolatiône Mutis Vocális poſtpónitur, Semiuocálibus verò præpónitur.
7. Ex Semiuocálibus quátuor ſunt Liquidæ: *l m n r.*
8. Lítera Liquéſcit, cum vim & robur ſuum amittit.
9. Lítera *F* ante *L* & *R* póſita fit Muta.
10. Lítera *H* in Proſodia nihil valet.

2. *I* & *V*, ſunt Conſonántes in iſtis Syllabis, *Ia ie ii io iu. Va ue ui uo uu*, vt *Iacio ieci, Valentine, Veni Vide Volatus Vulturum.*

3. Duplæ ſunt tres, *X Z* & *I* inter duas vocáles póſitum: Dicuntur Duplæ, quia duas valent líteras, *X* valet *C S*, *Z* va-

4. let *DS*, *I* valet duo *II*, vt *Rez, Gaza, maior.*

Syllaba eſt literârum comprehénſio, vt *A, ca, de, mi, a.*
Syllaba fit ex vna vel plúribus líteris, vt *Vi a, plebs.*
Syllaba ratiône loci eſt triplex: *Prima, Mêdia, Vltima.*
Syllaba ratiône Quantitátis eſt triplex: *Breuis, Longa, & Communis.*
Syllaba Breuis eſt, quæ vnum Tempus habet; vt *Fuit.*
Syllaba Longa eſt, quæ duo Tempora habet, vt *Fons.*
Syllaba Commûnis eſt, quæ nunc brevis, nunc longa eſſe poteſt, vt *Tenebræ, patria, Volucris, &c.* hoc autem tantùm valet in Carmine.

7. Tem-

7. Tempus in Proſodia eſt ſpatium, ſeu mora illa, quâ ſyllaba pronuntiâtur.
8. Syllabæ Longæ ſignum eſt tale - Breuis vero ᴗ
9. QuantitasSyllabarum vndecim modis cognoſcitur, *Diphthongo, Poſitióne, Vocáli ante Vocálem, Compoſitiône, Incremênto, Deriuatiône, Prætérito, Supino, Terminatiône, Figúra, & Authoritâte.*

## CAPVT II.

### De Diphthóngo & Poſitióne,

1. Diphthongus Omnis longa eſt natura, vt *Præſul, aurum, pœna.*
2. Diphthongus Præpoſitiônis *Præ* in Compóſitis ante Vocálem póſita ferè ſemper corripitur, vix aliquando prodûcitur, vt *Praúſtus, praácutus, praíre.*

Admónitio. *Diphthóngum initio vocis, vel in mediô, vel in fine ſequente Vocali à Poetis more Græcórum correptam mirari, non verò imitari púero licebit.*

Ouid: *Longior antiquis viſa Mæotis hyems.*

Virg: *Glauco | et Pano | pæ æ et | i no | o Me li | certæ*

Virg: *Inſulæ, Ioni, oin magno quas di ra cæ, læno.*

*Imple, runt mon, tes fle, runt Rhodo, peiæ. arces.*

1. Vocalis ante duas Conſonántes firmas, ambas eiúſdem vocis vel vnam ſaltem vniús, & alteram alterius póſita eſt longa, vt *Mārs, cōncōrs, ſcāmnum.*
2. Vocalis ante duplam eiúſdem vocis póſita eſt longa, vt *Dux, Gaza, Troia.*
3. Vocalis Natura breuis ante duas Conſonantes eiúſdem vocis débiles, .ſ. priôrem Mutam, & Poſteriôrem Liquidam; ſi ambæ ad álteram referântur ſyllâbam, apud Poëtas eſt Commûnis, apud Oratores Breuis, vt *Atlas, vólucris, palpebræ, tenebræ.*
4. In Verbo *Reijcio, Re* ſyllaba eſt Communis.

CA-

# CAPVT III.

## De Vocáli ante Vocálem.

1. Vocális ante Vocálem in Latinis Vócibus corripitur, vt *Deus, traho, mihi, &c.*

### EXCEPTIO.

1. Prodûcit cum Compóſitis *Fio* ſyllabam *Fi*, *R* abſente, & præſente córripit, *Fiat, fiebam.*
2. Quintæ Declinatiónis Genitîuus & Datîuus prodûcit *E* ante *I*, vt *Faciei, diei.* Excipe *Reì, ſpei, fidei*, bréuia.
3. Prodûcit póſitam ante ſe vocálem Vocatíuus Secúndæ Declinatiónis in *I*, à Nominatiuo *Ius* véniens, vt *Cai*, *Pompei, &c.*
4. Interiéctio *Eheu*, priôrem producit.
5. *E* & *O* ante *I* póſita in Poſſeſsiuis deſinéntibus in *Eius* & *Oius*, diuîſum producûntur, vt *Troius, Priameius.*
6. Genitiuus in *Ai* diuîſum antîquus, *A* ante *I* prodûcit, vt *Aulai, pictai.*
7. Genitiuus in *Ius*, ante *I Vs* apud Poëtas habet Commûne, apud Oratóres longum, vt *Vnius, totius, ipſius.*
8. In Genitiuo prodûcit *Li* ſyllabam *Alius.*
9. In Genitiuo córripit *Ri* Syllabam *Alterius.*
10. Váriant *Ohe* & *Io* priórem.
11. Váriant Vocálem ante Vocálem Peregrinæ & Bárbaræ voces, vt *Michael, Gabriel, &c.*

Græca Vocálem ante Vocálem quædam prodúcunt, quædam córripiunt, & quædam váriant.

Prodûcunt iſta: *Aer, Lais, Náis, Lycáon, Nicoláus.* E, *Calliopéa, Cytheréa, Deiopéa, Deiphôbus, Spondéus.* I. *Democratia, Dulia, Elogîa, Talia, Priamides, Clio, Orión, Diána, Amphión, Darius.* O, *Trôilus, Zoilus.*

Corripiunt iſta: *Cythereia, Elegia, Symphonia.*

Váriant iſta: *Chorea, platea.*

CAPVT

# CAPVT IV.

## De Compoſitióne.

*In Compoſitis Verſibus*

1. Præpoſitiones iſtæ: *A, e, de, di, ſe,* producûntur, vt *Euoco, educo, dedúco, diduco, ſedúco, ſeuoco.*

2. Præpoſitiones iſtæ: *Ab, ad, ante, circum, in, ob, per, re, ſub, ſuper,* non impeditæ Poſitiône corripiûntur. *Abeo, adamo, ineo.*

3. Præpoſitio *Pro* Latinis eſt Longa, Græcis verò Breuis, vt *Produco, protraho, Propheta.*

4. Pars prior corrûpta in *A* prodûcitur, vt *Tráduco, trano.*

5. Pars prior corrupta in *E I V* corripitur, vt *Nefas, Archetypus, agricola, cauſidicus, omnipotens, ſacrificus, ducenti, quadrupes, &c.*

6. Pars prior corrupta in *O* apud Græcos eſt Brevis, apud Latinos incerta, & vſu tantùm diſcenda, vt *Argonauta, Theophilus, Oeconomus.*

7. Pars prior & poſterior vtraq; non Monoſyllaba, in primis & medijs ſyllabis eſt tanta quanta fuit extra Compoſitionem, ſiue maneat, ſiue mutetur, Vocalis aut Diphtongus illius partis, vt *Lucifer, falcitenens, inimicus, iniquus, occido.*

8. Pars prior & poſterior vtraque integra ratione vltimæ ſyllabæ ſuæ eſt tanta quanta fuit extra Compoſitionem, vt *Mecum, quare, benedico, hodie.*

Annotátio. *Pars integra illa dicitur, quæ tam in Compoſitione quàm extra Compoſitionem eodem modo finitur, reſpectu vocis, cum qua Componitur: vt* Te cum, me cum, bene dico: *quia etiam extra Compoſitionem dicitur:* Cum te, dico bene. *Corrupta, verò eadem dicitur, quæ aliter in Compoſitione, aliter extra deſinit, vt* Agricola; *extra Compoſitionem ſic finitur* Agrum colens, armiger arma gerens, omnipotens omnia potens, &c.

1. Breuis eſt ſyllaba
- 1. *Di*, in *Dirimo* & *diſertus*.
- 2. *Pro*, in his vócibus: *Profugio profugium*, *profugus*, *profundus*, *profano*, *profanus*, *profeſtus*, *pronepos*, *proneptis*, *profectus*, *profecto*, *profiteor*, *profari*.
- 3. Poſterioris partis prima in iſtis vocibus: *Deiero*, *peiero*, *innuba*, *pronuba*, *nihilum*, *ſemiſopitus*, *cauſidicus*, *veridicus*, *fatidicus*, *maledicus*.

2. *Idem*, primam ſyllabam in Maſculino producit, in Neutro verò côrripit.

3. In *Meridies*, *biduum*, *triduum*, *tubicen*, *I* producitur.

4. Longa eſt ſyllaba
- 1. *Re*, in *Refert*, Imperſonali.
- 2. *Ne*, in *Veneficus* & *venefica*.
- 3. *Bi*, in *Ambitus*, Participio. Breuis verò in Nómine.
- 4. *Bi*, in *Ibidem*, *vbilibet*, *vbiq;*, *vbiuis*.

5. *Lagopus*, *Minotaurus*, *Geometra*, O longum habent.

6. Communis eſt ſyllaba *Pro*, in *Profundo* & *procurro*. *Tri*, in *Quatriduum*, & *Bi*, in *Vbicunq;*. *Nu*, in voce *Connubium*.

## CAPVT V.

## De Increménto in Communi.

1. Incrementum idem eſt, quod augmêntum, ſeu accrétio, ſeu accéſſio vnîus vel plurium ſyllabârum.
2. Incrementum eſt duplex: *Caſuâle*, *Temporâle*.
3. Incrementum Caſuâle eſt, quod fit in Caſu: & conuenit Nómini, Pronómini & Participio, vt *Omnibus*, *nobis*, *legentibus*.
4. Incrementum Temporale eſt, quod fit in Tempore, & ſoli Verbo conuenit: vt *Ibamus*, *audiebâmini*.

5. Vox tot Incrementa habet, quot ſyllabis ſúperat ſuum Principium: & ſi ei número ſyllabarum eſt æquâlis; tum nullum habebit Incremêntum.

1. Incrementi Caſuâlis Singularis à Nominatiuo Singulari; Plurâlis verò à Nominativo Plurali incipit origo.
2. Temporalis Incrementi principium & norma eſt Secunda Perſona Singularis Indicatiui Præſéntis, & Prima Perfecti in ſuis Deriuatis.
3. Incrementi cuiûſlibet locus eſt prima vel media ſyllaba. Prima Principij monoſyllabi, vt *Dotem vobis dabo.* Media Principij polyſyllabi, vt *Homines ambulabant*, & aliquando monoſyllabi, vt *Dotibus dabimus, &c.*
4. Paſſiua, Communia, & Deponentia à Secunda Persôna Singulari Præſentis Indicativi, Activi; illa à vera, iſta à ficta capiunt Increménta: vt ab *amas* venit *amaris*, *&c.* ſic à ficta *Criminas*, venit *criminaris* *A* longo.
5. Incrementum Caſuâle eſt duplex: *Singulare* & *Plurale*.
6. Incrementum Singulâre eſt, quo Singularem Nominatiuum ſuperant Caſus Plurales, vt *Sermonis lapides*.
7. Incrementum Plurale eſt, quo Pluralem Nominatiuum ſuperant Caſus Plurâles: vt *Viarum, quibus, vobis*.

## CAPVT VI.

### De Incremento Caſuali.

1. Secunda Declinatio Incrementa Singularia corripit, vt *Vîri, ſatûri, pueri*; præter *Ibĕri* & *Celtibĕri*.

### *A.*

Tertia Declinatio *A* Incrementum in Latinis producit, vt *Pax pācis, audax audācis, &c.*

*A* Incrementum corripiunt.
1. Maſculina in *Al* & *Ar*; & quæuis alia in duas Conſonantes exeuntia, vt *Sal ſalis*, *Cæſar Cæſaris*, *trabs trabis*.
2. Iſta: *Par, compar, impar, diſpar, lar, iubar, hepar, nectar, baccar, mas maris, vas vadis, anas anatis*.
3. Græca *A* vel *As*, vel *Ax*, in Nominatiuo finita, vt *Poëma Poëmatis, Pallas Palladis, Corax coracis*.

*Aiax, Thrax, thorax, Limax, Phaax*, *A* Incrementum producunt.

## *E.*

Tertia Declinatio E Incrementum corripit, vt *Grex grĕgis, ſeges ſegĕtis.*

E Incrementum producunt Nomina
1. Quorum Genitiuus exit in *Elis* & *Enis*, vt *Michael, Ren, Siren, &c.*
2. Græca *Er* vel *Es*, in Nominatiuo finita, vt *Crater, ſoter, luter, tapes, lebes, &c.*
3. Iſta: *Ver, iber, ſeps, plebs, fex, merces, quies, heres, locuples, Rex, lex, exlex, halex, Veruex.*

*Aer, æther, hymen,* breue habent Increméntum.

## *I & Y.*

Tertia Declinatio *I* & *Y*, Incremêntum Singulâre corripit, vt *Carmĭnis, nĭuis, Chalybis, &c.*

I vel Y, Incrementum ſingulare producunt
1. Adiectiua in *Ix*, & Verbalia in *Trix*, vt *Felix, Victrix, genitrix, &c.*
2. Iſta omnia: *Lis, Dis, Samnis, Neſis, glis, gryphs, Vibex, bombix, cicatrix, coturnix, perdix, radix, cornix, coccix, lodix, phœnix, ſpadix, ceruix, maſtix, Homeromaſtix.*
3. Græca quorum Genitiuus exit in *Inis* vel *Ynis*, vt *Delphin, Phorcin, Salămin.*

*Bebrix, Sandyx, Dauid,* variant Increméntum.

## *O.*

Tértia Declinátio O Incremêntum producit; vt *Sol sōlis, ſermo ſermōnis.*

Græca Genitiuum *Onis* ſcriptum per
1. *Omycron* corripiunt: vt *Palæmon, Iaſon, Teuto, Macedo.*
2. *Omega* producunt, vt *Vaſco, Burgundio.*

O Incre-

OIncrementum corripiunt Nomina
- 1. Latina Subſtantiua Neutra pluriſyllaba, vt *Corpus, nemus, pecus, &c.*
- 2. Iſta omnia : *Bos. compos, impos, arbos, memor, bicorpor, tricorpor, indecor, dedecor, & lepus* animal.
- 3. Græca, cuiuſuis Generis, quorum Genitiuus exit in *Oris*, vt *Rhetor, Neſtor, ebur, marmor, &c.*
- 4. Compoſita ex *pus, podos*, vt *Tripodos, &c.*
- 5. *Præcox, Cappadox* ; & quorum Thema deſinit in *Obs, ops*, vt *Scorbs, Æthiops, Dolops, &c.*

- 1. Producunt incrementum, *Cyclops, Cercops, hydrops, Conops, Myops, Europs.*
- 2. Variant. *Ægon*, & *Orion*, ſua incrementa.

## *V.*

Tertia Declinatio *V* Incrêmentum corripit, vt *Guttur guttŭris, murmur murmŭris, &c.*

*V* Incrementum producunt
- 1. Nomina, quorum Themata per *Vs* finita, *Vtis*, vel *Vris*, vel *Vdis*, habent in Genitiuo, vt *Virtus virtutis, tellus telluris, pallus palludis, &c.*
- 2. *Frux frugis, lux lucis, pollux pollucis, fur furis, trifur trifuris.*

*Pecus, Ligus, intercus, V* Incremêntum corripiunt.

## De Incremento Caſuali Plurali.

Incrementum Plurale deſinens in
- 1. *A E & O* producitur, vt *Deābus, rērum, vōbis, &c.*
- 2. *I & V* corripitur, vt *Trĭbus, quĭbus, quercŭbus.*

# CAPVT VII.

## De Incremento Temporali.

## *A, E, O.*

*A, E, & O*, Incrementa Verborum producûntur, vt *Amāmus, amēmus, amatōte, &c.*

## EXCEPTIONES.

1\. *Do, circumdo, peſſundo, venundo, ſatiſdo*, ſyllabam *Da* Incrementum corripiunt. vt *Damus, dabam, dare.*

1\. Incrementum *E* ante *Ram, Rim, Ro*, corripitur, vt *Eram, fuerim, ero, legerim.*

2\. Incrementum *E* primum ante *R* in Præſenti & Imperfecto omnium Modôrum Verba Tertiæ Coniugationis, cuiuſuis Generis corripiunt; ſecundum vero producunt, vt *Legerem, legere, legeris, legereris.*

3 Incrementum *E* in Futuro Indicatiui Prima & Secûnda Coniugatio *Beris* vel *bere* corripit, vt *Amaberis* vel *amabere, doceberis* vel *docebere, &c.*

4\. Incrementum ante *Runt* vel *Re* Perfectum Indicatiui túcius producit, quàm corripit, vt *Dederunt* vel *dedere.*

### *I* & *V.*

*I* & *V* Verborum Incrementa corripiuntur, vt *Legimus sŭmus, poſſumus, &c.*

1\. Incrementum *I* prodûcit *Sum* & *Volo* cum Compoſitis, vbique præter Indicatiui Perfectum, vt *Simus, velimus, nolimus, &c.*

2\. Incrementum Primum omnia Verba Quartæ Coniugationis producunt, vt *Audimus, irem, ire, &c.*

3\. Incrementum in Prima Plurali Perfecti Indicatiui omnes Coniugationes corripiunt, vt *Amauimus, docuimus, legimus, audiuimus, &c.*

## CAPVT VIII.

### De Deriuatióne, Prætérito & Supino.

1\. Voces Deriuatiuæ Speciei Primitiuârum ſuârum retinent Quantitatem, vt *Amans, docendus, tenax, legebam, &c.*

EXCE-

## EXCEPTIO.

1. *Sedes, latêrna, ferális, Régula, tegula, iúnior, humânus, fomes, ſeméntum, mobilis*, ex breuibus ortæ primam ſyllabam producunt.
2. *Aréna, ariſta, arundo, lucêrna, ſopor, Vadum, Varicoſus, dicax*, ex longis ortæ primam corripiunt.

Annotátio. *Quantitatem Deriuatiuorum deſcendentium à Præſenti Præterito & Supino, ſæpius, alij Modi, quàm Deriuatio tibi indicabit.*

1. Præterita & Supina ſimplicium diſſyllaba primam non impeditam producunt, vt *Moui motum, Vidi Viſum, &c.*
2. Præterita & Supina ſimplicium triſyllaba ratione Primæ ſunt tanta, quanta eſt Prima Præſentis, vt *Amaui amatum.*
3. Supina ſimplicium in *Atum, etum* & *Vtum*, penultimam producunt, vt *Amatum, fletum, ſolutum, &c.*
4. Præterita & Supina ſimplicium triſyllaba in *iui itum* penultimam producunt, vt *Petiui petitum, audiui auditum, &c.*
5. Supina ſimplicium triſyllaba in *Itum*, à quouis Præterito præter *Iui* penultimam corripiunt, vt *Genitum, monitum, agnitum, cognitum, &c.*
6. Præterita reduplicata, vtramque priorem, ſi Poſitio non impedit corripiunt, vt *Cecini, peperi, tetigi, pupugi, momordi, tetendi, &c.*
7. Primam corripiunt iſta Præterita: *Bibi, tuli, dedi, ſteti, fidi, ſcidi, genui, poſui, potui.*
8. Primam corripiunt iſta Supina: *Datum, ſatum, ratum, itum, quitum, ſitum, litum, rutum.*
9. In *Cecidi*, à *Cædo* & in *Pepedi* à *Pedo*, penultima eſt longa.
10. *Citum* à *Cieo* Secundæ Coniugationis corripit Primam, vt *Concitus*. Sed *Citum* à *Cio* Quartæ producit, vt *Excitus.*
11. In *Statum* Primam eſſe Communem iſta probant longa, *Staturus, conſtaturus*; item iſta breuia, *Status, a, um*, & *Status, us* & *præſtitus.*

# CAPVT IX.

## De Terminatione.

Annotátio. *Vltimârum ſyllabârum Quantitas, tum demum eſt inueſtiganda Terminatione, quum nec Diphtóngo, nec Poſitione poterit cognóſci.*

### *A.*

*A* in fine Dictiônis eſt longum; vt *ă, ab, văh, dă, amă, iuxtă, &c.*

*A* in fine:
1. Corripiunt omnes Nominatiui, Accuſatiui & Vocatiui, vt *Via, ſcamna, áera, ea, ducenta, trecenta, &c.*
2. Prodúcunt Ablatiui Primæ Declinatiônis, vt *Viá longâ.*
3. Prodúcunt Vocatiui Græcôrum Maſculinôrum in *As* Primæ & Tértiæ Declinatiônis, vt *ô Ænea, ô Palla.*
4. Corripiunt, *Eia, quia, ita, poſtea.*
5. Sæpiùs prodúcunt, quàm corripiunt, *Contra, Vltra, puta, &* Numerália in *Ginta*, vt *Triginta, quadraginta, &c.*

### *E.*

*E* in fine Dictiônis eſt breue. vt *Dominĕ, legĕ, dulcĕ, quĕ, vĕ, nĕ, cĕ, tĕ, ptĕ, faciĕ.*

*E* in fine producunt:
1. Omnes Caſus Primæ & Quintæ Declinationis in *E* exeuntes, vt *Anchiſe, ode, acie, re, die,* cum Compoſitis, *quare, hodie, pridie.*
2. Imperatiui Singulâres Secúndæ Coniugatiônis, vt, *Doce, ſtude, moue, &c.*
3. Monoſyllaba iſta; *Me, te, ſe, de, e, ne,* prohibéndi.
4. *Ferme, fere, Valde, cete, tempe, ohe.*
5. Aduérbia ómnia in *e* ab Adiectiuis Secúndæ tantùm Declinatiônis orta, vt *Pulchrè, doctè, optimè.*

Excipe, *Bene, male, mage,* pro *magis*, in fine bréuia.

Vltima eſt Communis in *Vale, Vide, caue*, & in Vocatiuis *Achille*, & *Vlyſſe*, & in Ablatiuo *fame*; & in Aduerbijs, *inferne, ſuperne.*

*I & Y.*

*I* In fine prodúcitur, vt *Veni, illi, &c. Y* verò per ypſylon corripitur. *Moly, &c.*

*I* In fine Vocatiui Græci Tértiæ corripiunt, vt *ô Pari, ô Alexi, &c.*

1. *Mihi, tibi, ſibi,* & *cui,* diſſyllabum, in fine ſunt communia.
2. *Niſi, quaſi, Vbi, ibi,* & iſtorum compóſita, vt *Alibi, ſicubi, &c.* in fine ſunt Communia.
3. Græca Latinè declinata in Datiuo, vt *Pyladi, Thedi, &c.* in fine ſunt communia,

*O.*

O in fine dictionis eſt Commune, vt *Ego, homo, amo, legendo, duo, ſcio, néſcio, coniúnctio, vero.*

O in fine producunt:
1. Monoſyllaba omnia: vt *O, ſto, do, pro* & *ergo.*
2. Datiui & Ablatiui Nóminis, Pronóminis; & Participij Partis, vt *Domino, iſto, quo, facto, &c.*
3. Græca per *Omega* ſcripta, vt *Clio, Echo, &c.*
4. Aduerbia ex Nominibus & Pronominibus nata: vt *Falsò, meritò, illo, eo* cum Compóſitis, *adeò, ideo.*

*V, B, D, T, M, C, L.*

In fine Dictionis.
1. *V* eſt longum, vt *Manu, cornu, dictu, &c.*
2. *B, D, T,* ſequente vocali eſt breue, ut *ab, ad, ſit.*
3. *M* ſequente Vocali aut Diphthongo modo eliditur; ántea erat breue, vt *Circum, ſcamnum, &c.*
4. C eſt longum, vt *Lac, huc, illuc, hîc, &c.*
5. *L* eſt breue, vt *Fel, ſemel, ánimal, &c.*

1. Corripiunt, ultimam *Nec, donec,* & peregrina in *Ec,* vt *Melchiſedec.*
2. Variant vltimam *Fac,* & *hic* Pronomen.
3. Producunt, vltimam *Sal, ſol, nil,* & Hebræa in *El,* vt *Michael, Gabriel, &c.*

## *N* & *R.*

In fine Dictionis
1. *N* eſt longum: vt *Non*, *Pan*, *Siren*, *en*, *Delphin*, *Penelopen*, *&c.*
2. *R* eſt breue, vt *Vir*, *ſemper*, *frater*, *&c.*

Corripiunt *N* in fine
1. Nómina habentia *Inis* breue: vt *Carmen*, *lumen*, *fulmen*, *&c.*
2. Græca Neutra in *On* Secundæ Latinorum: vt *Pelion.*
3. Accuſatiui Græci à Nominatiuis breuibus orti: vt *Maiam*, *Itin*, *Ibin*, *Menelaon*, *&c.*
4. Iſta *Tamen*, *attamen*, *forſan*, *forſitan*, *an*, *Viden*, *in*, cum Compoſitis, *dein*, *proin*, *&c.*

1. Producuntur in fine *Cur*, *fur*, *trifur*, *par*, *compar*, *diſpar*, *lar*, *nar*, *far*, *Ver*, *iber.*
2. Producuntur in fine Græca in Genitiuo *Eris* habentia, vt *Crater*, *aer*, *&c.*
3. *Cor* & *Celtiber*, ſunt Communia in fine.

## *AS, ES, OS.*

*AS*, *ES*, *OS*, in fine Dictionis eſt longum: vt *Amas*, *doces*, *hos*, *viros*, *&c.*

1. *As* in fine corripiunt
1. Nominatiui, quorum Genitiuus exit in *Adis*, vt *Pallas*, *lampas*, *&c.*
2. Accuſatiui Græci Plurales Tertiæ Declinationis, vt *Heroas*, *lampadas*, *&c.*

1. *Es* in fine corripiunt
1. Nómina, quorum eſt Incrementum breue: vt *Miles*, *diues*, *præpes*, *&c.* ✠ A ✠
2. Græca Neutra Singularia: vt *Cacoethes.*
3. Nominatiui & Vocatiui Græci Plurales: vt *Troes*, *Arcades*, *&c.*
4. Præpoſitio *Penes*, & Verbum *Es*, cum Compoſitis: vt *Abes*, *ades*, *potes*, *&c.*

A ✠ Excipe iſta in fine longa, *Aries*, *abies*, *paries*, *Ceres*, *æs*, *ſonipes*, *quadrupes*, & alia Compoſita.

3. *Os* in fine corripiunt
1. *Compos*, *impos*, *os oſsis*, *exos exoſis.*
2. Græca omnia per *Omycron* ſcripta: vt *Chaos*, *melos*, *epos*, *Synodos*, *Methodos*, *&c.*

*Is &*

## *IS*, & *YS*.

*Is* & *Ys* in fine Dictionis eſt breue, vt *Lapis lapidis*, *legis*. *Capys*, *Chelys*, &c.

*Is* in fine producunt:

1. Omnes Caſus Plurales, vt *Vitis, viris, nobis,* &c.
2. Nominatiui Incrementum longum habentes, vt *Lis, glis, dis, Salamis,* &c.
3. Verba iſta: *Velis, nolis, malis, ſis, vis.* Nomen & Verbum & horum duorum Compoſita, vt *Adſis, poſſis, quamuis, quiuis,* &c.
4. Perſonæ Secundæ Singulares Præſentis Indicatiui Quartæ Coniugationis, vt *Is, audis,* &c.

## *VS*.

*Vs* in fine Dictionis eſt breue, vt *Deus*, *meus*, *legimus*, &c.

1\. *Vs* in fine producunt:

1. Monoſyllaba, vt *Sus, mus, thus, grus,* &c.
2. Nomina Incrementum longum habentia, vt *virtus, tellus,* &c.
3. Quartæ Declinationis Genitiui Singulares, item Nominatiui, Accuſatiui & Vocatiui Plurales; vt *Fructus, manus,* &c.
4. Genitiui Græci Tertiæ Declinationis, vt *Didus, Clius, Echus,* &c.
5. Græca in Genitiuo *Vntis* habentia, vt *Opus, Amathus.* Et contracta ex *Oos*, vt *Panthus,* &c.
6. *Tripus, Melampus,* &c. per *O mega* ex *Pus*.

2\. *IESVS* Sanctiſſimum Nomen in fine eſt longum.

## De Figura & Auctoritate.

Obſeruatio. *Tres ſunt Figuræ, quæ inueſtigandæ Syllabarum Quantitati conueniunt:* Syſtole, Diaſtole, & Synæreſis.

1. Syſtole Figura eſt, quæ docet Syllabam natura longam corripere, vt *Stetĕrunt, dedĕrunt, Inſulæ Rhodopeiæ.*
2. Diaſtolæ Figura eſt, quæ docet Syllabam natura breuem producere, vt *Italiam, terraſque liminaque.*
3. Synæreſis contractam Syllabam facit longam, vt *Malo, cogo, bobus,* &c.
4. Auctoritas eſt alicuius Claſſici Authoris Exemplum.

CAPVT

# CAPVT X.

## De Pedibus.

Pes Metricus eſt Syllabarum certus numerus & definita collectio. 2. Vna Syllaba Pedem non facit.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Pedes Diſſyllabi ſunt quatuor. | | Spondeus | - - | *Lites.* |
| | | Pyrrhichius | u u | *Fuge.* |
| | | Trochæus ✠ | - u | *Viue.* |
| | | Iambus | u - | *Deo.* |
| Pedes Triſyllabi ſunt octo : | | Moloſſus | - - - | *Virtutes.* |
| | | Trybrachys | u u u | *Sequere.* |
| | | Dactylus | - u u | *Optima.* |
| | | Anapæſtus | u u - | *Facias.* |
| | | Bacchius | u - - | *Amicos.* |
| | | Antibacchius | - - u | *Defende.* |
| | | Creticus ✠ | - u - | *Sis bonis.* |
| | | Amphybrachys | u - u | *Amicus.* |
| Pedes Quadriſyllabi ſunt ſedecim. | | Diſpondeus | - - - - | *Virtus merces.* |
| | | Proceleuſmaticus | u u u u | *Hominibus.* |
| | | Ditrochæus | - u - u | *Sis fidelis.* |
| | | Dijambus | u - u - | *Modum tene.* |
| | | Choriambus | - u u - | *Maius ineſt.* |
| | | Antipaſtus | u - - u | *Viris robur.* |
| | | Ionicus à Maiore | - - u u | *Virtutibus.* |
| | | Ionicus à minore | u u - - | *Honor ingens.* |
| | Pæon, | Primus | - u u u | *Viue pius.* |
| | | Secundus | u - u u | *Deum cole.* |
| | | Tertius | u u - u | *Fuge crimen,* |
| | | Quartus | u u u - | *Fuge malos.* |
| | Epitritus | Primus | u - - - | *Volant horæ.* |
| | | Secundus | - u - - | *Currit ætas.* |
| | | Tertius | - - u - | *Cunctis adeſt.* |
| | | Quartus | - - - u | *Vitæ finis.* |

✠ *Choreus.*

✠ *Amphimacrus.*

CAPVT

# CAPVT XI.
## De Carminum Generibus.

Carmen ſeu Verſus eſt Certôrum Pedum Compoſitio.

1. Carmen ratione Diuerſôrum, varias habet Diuiſiones & Appellationes.
2. Ratione Inuentoris eſt multiplex .ſ. *Adonium, Aſclepiadeum, Glyconicum, Sapphicum, Phaleucium, Pindaricum, &c.*
3. Ratione Materiæ eſt, *Heroicum, Elegiacum, Satyricum, Comicum, Tragicum, Buccolicum, Georgicum, Epitaphium, Epicedium, Epitalamium, Genethliacon, &c.*
4. Ratione Pedis eſt, *Spondaicum, Dactylicum, Anapæſticum, Iambicum, Trochaicum, &c.*
5. Ratione Numeri ſyllabarum, *Pentaſyllabum, Hephtaſyllabum, Hendecaſyllabum, &c.*
6. Ratione Numeri Verſuum eſt, *Diſtichon, Tetraſtichon, Hexaſtichon, Ogdoaſtichon, Decaſtichon.*
7. Ratione Menſuræ dicitur, *Dimetrum, Trimetrum, Tetrametrum, Pentametrum, Hexametrum, &c.*
8. Ratione Depoſitiônis eſt, *Perfectum, Deficiens, Abúndans.*
9. Ratione Compoſitiônis eſt, *Monocolon, Dicolon, Trícolon, Tetracolon.*
10. Ratione Reuerſiônis vocâtur, *Monoſtrophon, Diſtrophon, Tiſtrophon, Tetraſtrophon, Pentaſtrophon.*

Admonitio. *Per iſtas igitur Diuiſiones quodlibet Carmen oportet examinare, quærendo. Hoc Carmen quale eſt ratione Menſuræ? quale eſt ratione Depoſitionis? quale eſt ratione Reuerſionis? &c.*

Genera Carminum ſunt hæc: *Adonium, Glyconicum, Aſclepiadeum, Sapphycum, Phaleucium, Pentametrum, Hexametrum, Iambicum, &c.*

Annotátio. *Genera Carminum ſunt hîc illa nomina; quibus, aut ſemper, aut ſæpius, quàm alijs certi Verſus denominantur: quorum nonnulla licet cæteris quoq; Verſibus conueniant, vni tamen appropriântur, & vnum denotare ſolent, vt eſt Pentametrum; Hoc enim licet conueniat Sapphico, Phaleucio, Elegiaco, &c. quæ omnia ſunt Pentametra, id eſt quinque Menſuras in Scanſione facientia, & in quinque Regionibus Pedes recipientia: tamen ex vſu loquendi tantum Verſus Elegiacus per Carmen Pentametrum ſignificâtur.*

De Ver-

## De Verſu Adonio.

1. Verſus Adonius duas habet Regiones, & Pedes duos: Dactylum & Spondeum, in prima recipit Dactylum, in ſecunda Spondeum, ſic:

1. 2.
- ᴗ ᴗ | - -
*Nubibus atris*
*Condita nullum*
*Fundere poſſunt*
*Sidera lumen, &c.*

*Hic Verſus eſt omnium aliorum facillimus; & ob id ante alios merito ad ſcribendum Tyronibus eſt primo proponendus.*

2. Adonius Verſus eſt extrema Carminis Heroici Dipodia, coniungitur verò cum Verſu Sapphico, & aliquando per ſe ſolus ponitur & Poëma conſtituit, vt patet, apud Boëtium *Nubibus atris, &c.*

## De Verſu Sapphico.

1. Verſus Sapphicus quinque Regiones habet, Pedes verò tres: Trochæum, Spondeum, & Dactylum; in prima Regione habet Trochæum; in ſecunda Spondeum; in tertia Dactylum, in quarta & quinta Trochæum, ſic:

1. 2. 3. 4. 5.
- ᴗ | - - | ᴗ ᴗ | - ᴗ | - ᴗ
*Rebus anguſtis animoſus atq;*
*Fortis appare ſapienter idem.*
*Contrahes vento, nimium ſecundo,*
*Turgida vela.*

2. Verſus Sapphicus cum Adonio coniungitur vt vides; & ſemper ſecundam Cæſuram habet.

## De Verſu Glyconico.

1. Verſus Glyconicus tres habet Regiones, Pedes verò duos .ſ. *Spondeum* & *Dactylum*: in prima Regione récipit *Spondeum*: in ſecunda & Tertia *Dactylum*, ſic:

| 1. | 2. | 3. |
|---|---|---|
| – – | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ |

*Illi mors grauis incubat.*
*Qui notus nimis omnibus,*
*Ignotus moritur ſibi.*

2. Verſus Glyconicus váriè componitur. *Primò*, per ſé ſolus pónitur. *Secundò*. vni Aſclepiadeo poſtpónitur. *Tertiò*, tribus Aſclepiadeis. *Quartò*, duobus Aſclepiadeis & tértio Pherecratio ille quartus adiúngitur. Exemplá in Horat: *Lib.* 1. *Ode* 3. 4. & 6.

## De Verſu Aſclepiadeo.

1. Verſus Aſclepiadeus quinque habet Regiones, Pedes verò duos, *Spondeum*, & *Dactylum*, & *Cæſuram ſecundam*, in prima Regione habet *Spondeum*, in ſecunda *Dactylum*, in tertia *Cæſuram*, in quarta & quinta *Dactylum*, hoc modo:

| 1. | 2. | 3. | 4. | 5. |
|---|---|---|---|---|
| – – | – ◡ ◡ | – | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ |
| *Mecæ,* | *nas áta,* | *uis,* | *edite,* | *Regibus.* |
| O &, | *præſidi,* | *um* &, | *dulce de,* | *cus meum.* |

2. Verſus Aſclepiadeus compónitur, vel cum álijs Aſclepiadeis tantùm, vel cum Glyconico. Alij eum ſic metiuntur.

| 1. | 2. | 3. | 4. |
|---|---|---|---|
| – – | – ◡ ◡ – | – ◡ ◡ – | ◡ ◡ |
| *Mecæ* | *nas atauis* | *edite Re* | *gibus.* |

De

## De Verſu Pentámetro.

1. Verſus Pentameter quinque habet Regiones, Pedes verò duos .ſ. *Spondeum*, & *Dactilum*, in Regiône, prima & ſecunda poteſt recipere aut *Spondeum* aut *Dactylum*; in tertia *Cæſuram ſecundam*; in quarta & quinta ſemper *Dactylum*: & tandem in fine quaſi in ſexta Regione opus erit manere *Cæſuram* ſeu *Syllabam longam*, quæ cum tertia Regionis *Cæſura* coniûncta integrum conſtituit *Spondeum ſic*:

| 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. |
|---|---|---|---|---|---|
| - - | - - | - | -uu | -uu | - |
| -uu | -uu | - | -uu | -uu | - |

*Appâret virtus arguiturq; malis.*
*Ingenio ſtimulos ſubdere fama ſolet.*

2. Verſus Pentameter ille maximè probatur, qui dictione triſyllaba, aut vna monoſyllaba non finitur.
3. Hoc verſu maximè res lugubres deſcribuntur.
4. Sine Heroico ferè nunquam pónitur, & ſic quidem vt in vno diſticho ſenſus perficiatur.

## De Verſu Phaléucio.

1. Verſus Phaléucius quinque habet Regiones, Pedes verò tres: *Spondeum*, *Dactilum*, & *Trochæum*, in prima *Spondeum*, in ſecunda *Dactylum*: in tertia, quarta & quinta *Trochæum*: ſic

| 1. | 2. | 3. | 4. | 5. |
|---|---|---|---|---|
| - - | -uu | -u | -u | -u |

*Reges & Dominos habere decet,*
*Qui ſe non habet, atq; concupiſcit,*
*Quod Reges Dominiq; concupiſcunt.*

2. Verſus Phaléucius per ſe ſolus ponitur, vſus eius e[illegible] in Epigrammatis frequentiſſimus, dicitur etiam à número Syllabarum Hendecaſyllabus: Martiâlis & Catulus in prima Regione tribuunt ipſi *Iambum* vel *Trochæum*.

## De Verſu Hexámetro.

1. Verſus Hexámeter ſex habet Regiónes, Pedes verò duos, *Spondeum* & *Dactylum*, in Regione prima, ſecunda, tertia, & quarta poteſt recipere, aut *Spondeum*, aut *Dactylum*, in quinta verò tantùm *Dactylum*: & in ſexta *Spondeum*, ſic:

| 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. |
|---|---|---|---|---|---|
| ⏊ - | - - | - - | - - | - ◡ ◡ | - - |
| - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - - |

*Paruis imbutus tentabis grandia tutus.*
*Stat ſua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus.*

2. Verſus Hexámeter in quinta Regióne ad exprimendam rei alicuius, Maieſtatem aut grauitatem, aut difficultatem, interdum recipit *Spondeum*, à quo dicitur Spondaicus: vt

*Cornua velatárum obuertimus antennárum.*

3. Verſus Hexámeter dictione diſſyllaba, aut triſſyllaba, aut duobûs monoſyllabis pulchrè finitur, ſed alijs non item.

4. Hexámeter Verſus ſine ſecunda Cæſura vix inuenitur, & variè cum alijs verſibus componitur.

## De Vérſibus ab Heróico deriuatis.

Verſus Pherecratius *eſt extrema Heroici tripodia; habet Regiones tres, Pedes duos .ſ. Spondeum & Dactylum: in prima & tertia ſemper Spondeum: in ſecunda Dactylum*, ſic:

| 1. | 2. | 3. | |
|---|---|---|---|
| - - | - ◡ ◡ | - - | vt *Vix duráre carinæ.* |

Verſus Archilochius *eſt poſterior tetrapodia Heroici, habet quatuor Regiones, Pedes duos, Spondeum & Dactylum: in prima & ſecunda, aut Spondeum, aut Dactylum: in tertia ſemper Dactylum: in quarta Spondeum.* ſic:

| 1. | 2. | 3. | 4. |
|---|---|---|---|
| - - | - - | - ◡ ◡ | - - |
| - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - - |

*Aut Epheſum bimariſúe Corynthi.*

Verſus Alemanicus *eſt prima tetrapodia Heroici, habet quatuor Regiones, Pedes duos, .ſ. Spondeum & Dactylum, in prima, ſecunda & tertia, aut Dactylum, aut Spondeum, in quarta ſemper Dactylum, ſic :*

| 1. | 2. | 3. | 4. |
|---|---|---|---|
| – – | – – | – – | – ∪ ∪ |
| – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | |
| *Soluitur* | *acris hy* | *ems gra* | *ta vice.* |

Verſus Archilochius *Hephthaſyllabus eſt prima dipodia Heroici ſiue poſterior pars Pentametri Elegiaci, habet Regiones tres. Pedem vnum, .ſ. Dactylum : idq; in prima & ſecunda Regione: in tertia verò Cæſuram ſeu ſyllabam longam, ſic :*

| 1. | 2. | 3. | |
|---|---|---|---|
| – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – | vt *Arboribuſq; comæ.* |

## De Anacreontio, Pindarico, Alcaico, & Anapæſtico Verſu.

Verſus Anacreontius *tres habet Regiones, & tres Pedes : in prima Dactylum : in ſecunda Trochæum ; in tertia Spondeum, ſic :*

– ∪ ∪ | – ∪ | – – vt *Lydia dic per omnes.*

Verſus Pindaricus *habet quatuor Regiones, Pedes duos : in prima & ſecunda Dactylum : in tertia & quarta Trochæum, ſic :*

– ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ | – ∪ vt *Flumina conſtiterint acuto.*

Verſus Alcaicus *habet quinque Regiones, tres Pedes: in prima vel Iambum, vel Spondeum : in ſecunda Iambum, in tertia Cæſuram, in quarta & in quinta Dactylum, ſic :*

| ∪ – | ∪ – | – | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ |
|---|---|---|---|---|
| *Vides* | *vt al* | *ta* | *ſtet niue* | *candidum.* |

Anapeſticus Dimeter *habet quatuor Regiones, & tres Pedes, .ſ. Spondeum, Dactylum, & Anapæſtum, idq; indifferenter : Horum vnus alijs duobus manentibus poteſt abeſſe, & ſecundus debet finire dictionem.*

| ∪ ∪ – | ∪ ∪ – | ∪ ∪ – | ∪ ∪ – |
|---|---|---|---|
| – – | – – | – – | – – |
| – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ |
| *Iam ra* | *ra micat* | *ſidera* | *prono, &c.* |

De Ver-

## De Verſu Iambico.

1. *Verſus Iambicus ſecundùm Latinos, qui talem Verſum per Monopodiam metiuntur eſt ſeptuplex, .ſ. Dimeter, Trimeter, Tetrameter, Pentameter, Hexameter, Hephthameter, Octometer. Secundùm Græcos verò quadruplex: Monometer, Dimeter, Trimeter, & Tetrameter, quia illi ipſum per Dipodiam metiuntur.*
2. *Quilibet Verſus Iambicus, & Dimeter, & Trimeter, & quiuis alius, duplices habet Regiones, alias Impares ſ. 1. 3. 5. 7. alias verò Pares .ſ. 2. 4 6. 8. à pari vel impari Numero.*
3. *Verſus Hexameter Iambicus eſt duplex, Rectus & Claudicans.*
4. *Iambicus Hexameter Rectus eſt is, qui in fine habet Iambum, vt Seneca: Non eſt ad aſtra mollis è terris via.*
5. *Verſus Hexameter Iambicus Claudicans, ſeu Scazon, ſeu Choliambus, ſeu Hyponacteus eſt is, qui in quinta Regione ſemper habet Iambum, & ſexta Spondeum, vt Mart:*

   *Contra malignos eſſe ſi cupis tutus.*
   *Apollinarem conueni meum Scazon.*

6. *Quilibet Verbus Iambicus præter Scazonta in fine habet Iambum.*
7. *In omnibus Regionibus præter vltimam loco Iambi poteſt habere Tribrachyn.*
8. *Verſus Iambicus ad temperandam celeritatem Iambi in Regionibus imparibus, præter vltimam loco Iambi recipere poteſt, aut Spondeum, aut Dactylum, aut Anapæſtum, aut Proceleuſmaticum, vt*

| 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ∪ – | | ∪ – | ∪ – | ∪ – | ∪ – | ∪ – | ∪ – |
| ∪∪∪ | ∪∪∪ | ∪∪∪ | ∪∪∪ | ∪∪∪ | ∪∪∪ | ∪∪∪ | ∪ – |
| – – | | – – | | – – | | – – | ∪ – |
| – ∪∪ | | – ∪∪ | | – ∪∪ | | – ∪∪ | ∪ – |
| ∪∪ – | | ∪∪ – | | ∪∪ – | | ∪∪ – | ∪ – |
| ∪∪∪∪ | | ∪∪∪∪ | | ∪∪∪∪ | | ∪∪∪∪ | ∪ – |

9. *Verſus Iambicus ille eſt optimus, qui ex ſolis Iambis conſtat, proximus eſt ipſi qui Spondeo: Iambis per miſtos habet.*
10. *Iambicus Dimeter in Hymnis, vt* Veni Creator Spiritus, *Trimeter verò & Tetrameter in Comœdijs & Tragœdijs locum habet.*

 CAPVT

# CAPVT XII.

De ſex Accidentibus Carminum . ſ. De Scanſione, Cæſura, Depoſitione, Compoſitione, Reverſione, & Metaplaſmo.

## De Scanſione.

1. Scanſio *eſt enumeratio Pedum in Verſu Poſitorum: hæc etiam Percuſſio & Dimenſio vocatur. Carmen ſcandere vel metiri eſt Pedes Carminis enumerare.*
2. Scanſio *eſt duplex: Simplex & Compoſita.*
3. Scanſio *Simplex eſt, quæ fit per Monopodiam, dum .ſ. ſinguli Pedes ſeparatim enumerantur. Hac vtuntur Latini metiendo Verſus Virgilij, Statij, & aliorum: ab iſta Verſus Elegiacus dicitur Pentameter, & Heroicus Hexameter, valet autem medium Tactum Muſicum, vt*

   *Vna ſa | lus vi | ctis nul | lam ſpe | rare ſa | lutem.*
4. Scanſio *Compoſita eſt, quæ fit per Dipodiam .ſ. dum duo Pedes ſimul coniunctim proferuntur, vt patet in Iambicis & Trochaicis: ab hac Carmina dicuntur Monometra, Dimetra, Trimetra, &c. valet autem integrum Tactum Muſicum, vt*

   *Vna ſa, lus vi | ctis nul, lam ſpe | rare ſa, lutem.*
5. Scanſio *Diuerſa aliam, aliamq; tribuit Verſui appellationem: Nam Heroicus poteſt dici, & Trimeter & Hexameter diuerſâ ratione; erit Hexameter, ſi per Monopodiam; erit Trimeter, ſi per Dipodiam ipſum metiamur.*
6. Scanſio *vt rectè fiat, cognoſcendæ ſunt iſtæ quatuor Figuræ Ecthlipſis, Synalœphe, Synæreſis, & Diæreſis.*

## Ecthlipſis.

*Ecthlipſis docet* m *literam cum ſua Vocali propter ſequentis vocis Vocalem aut Diphthongum elidere; & fit aliquando in vno Carmine, aliquando etiam in diuerſis, vt*

1. *Monſtr' hor, rend' in, form' in, gens cui, lumen ad emptum.*
2. *Iamq; iter emenſi turres ac tecta Latino, rum,*
   *Ardua cernebant Iuuenes, &c.*

Syná-

## Synálœphe.

1. *Synalœphe docet Vocalem & Diphthongum in fine vocis elidere toties quoties altera vox à Vocali aut Diphthongo incipit, & fit vel in vno Verſu, vel in diuerſis, vt*

*Conticu, er omnes in, tenti, qu ora te, nebant.*
*Inſeri, tur ve, rò ex ſa, tis nucis, arbutus, horri, da.*
*Et ſteriles platani, &c.*

2. *Synalœphe nunquam elidit voces iſtas ſequentes :* Ah, hei, heu, ô, io, proh, vah, *vt Horat : O & præſidium & dulce decus meum.*

3. *Synalœphe interdum à Pòëtis negligitur : aliquando enim nec Vocalis, nec Diphthongus in fine eliditur, ſequente Vocali aut Diphthongo alterius vocis: quinimmo interdum ſequente Vocali aut Diphthongo non modo non eliditur, ſed etiam contra naturam ſuam corripitur tam Vocalis quàm Diphthongus, vt Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.*

*Credimus an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.*
*Nomen & arma locum ſeruant te amice nequiui.*

## Diæreſis & Synæreſis.

*Diæreſis docet ex vnica ſyllaba duas facere, vt Aulai, Syluä, enuoluam, diſſoluo, ſuauis, &c.*

1. *Synæreſis docet duas ſyllabas in eadem voce in vnam ſyllabam contrahere, ſeu ex duabus vnam facere, vt Nolo pro nonuolo, cogo pro coago, alueo pro alueo, aureo pro aureo, Di pro Dij. Eſt duplex : Mutabilis & Immutabilis.*
2. *Synæreſis Immutabilis eſt, quando ſyllaba perpetuò contracta manet, tam in Carmine, quàm extra Carmen: & vbiq; eodem modo profertur, vt Malo, nolo, cogo, bonus, &c.*
3. *Synæreſis Mutabilis eſt, dum in Scanſione Carminis ſyllaba modo contrahitur, modo etiam non : & extra Carmen, vt non contracta profertur, vt dehinc, deerat*
4. *Vtraq; Synæreſis & Mutabilis & Immutabilis ſyllabam contractam facit longam.*
5. *Synæreſis eſt frequentiſsima in his : Cui, huic, Dij, Dijs, ij, ijs, ijdem, ijſdem, dein, deinde, deinceps, dehinc, deeſt, deerat, deerunt, deeſſe, ſemianimis, anteis, anteambulo, antehac, &c.*

## De Cæſura.

*Cæſura ſignificat primò ſectionem vel diuiſionem vocis, ſecundò ſyllabam vnam poſt Pedem relictam, tertiò ſyllabam & Pedem vel Pedes eam præcedentes.*

*Cæſuræ ſunt quatuor: Prima, Secunda, Tertia, Quarta. His adhuc duæ adduntur, Trochaica & Buccolica.*

1\. *Cæſura Prima eſt, quando poſt primum: Secunda, quando poſt ſecundum: Tertia, quando poſt tertium: Quarta quando poſt quartum Pedem vna ſyllaba finiens dictionem ſupereſt, vt*

Prima, *Ille la | tus.*
Secunda, *Ille la, tus niue | um.*
Tertia, *Ille la, tus niue, um mol | li.*
Quarta, *Ille la, tus niue um mol li ful | tus.*

2\. *Cæſura Græcè vocatur. Prima, Trithemimeris, id eſt, Semiternaria: Secunda, Pentemimeris, id eſt, Semiquinaria: Tertia, Hephthemimeris, id eſt, Semiſeptenaria, Quarta, Enneemimeris, id eſt, Seminouenaria, tot .ſ. in ſe continens Semipedes.*

3\. *Cæſura Trochaica, quæ à Pede Trochæo ſic dicitur eſt, quando poſt duos Pedes ſupereſt Trochæus claudens dictionem, & tertium Pedem Dactylum inchoans, vt.*

*In ſan, dum Re | gina.*

4\. *Cæſura Buccolica eſt, quæ & Tetrapodia dicitur, quando poſt tres Pedes ſyllaba relicta, cum voce diſſyllaba ſibi addita Dactylum efficit, vt O paſ, ſi graui, ora da, bit Deus.*

5\. *Cæſura ſolet locum præparare Figuræ Diaſtolæ: vbi enim eſt Cæſura aliqua, ibi etiam Diaſtolen non raro apud Poëtas videbis, vt apud Ouid:*

*Nec quæ præterijt, - hora redire poteſt.*

*Cæſuris Carmina maximè exornantur, quod tunc accidit, quando voces per medium diuiduntur, vnde Carmen nullam Cæſuram habens eſt inſuaue & inſulſum: quod quidem tunc fit, quando ſinguli Pedes ſingulis vocibus conſtant, vt*

*Peſſima Carmina ſcribit vates inſcius artis.*

De De-

## De Depoſitione.

*Depoſitio Metrica eſt Terminatio ſeu finis Carminis : ab hac Verſus dicitur Perfectus, Deficiens & Abundans.*

*1. Verſus dicitur perfectus ille, cui nulla ſyllaba, & nullus Pes deeſt, aut etiam ſupereſt, Græcè vocatur Acatalecticus : vt*
*Semper honos, nomenq; tuum laudeſq; manebunt.*

*2. Verſus Deficiens ille, cui aut Pes, aut ſyllaba deeſt ; cui deeſt ſyllaba Græcè Catalecticus ; cui vero Pes, Brachicatalecticus appellatur : vt*
*Semper honos nomenq; tuum laudeſq; manent.*
*Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere.*

*3. Verſus Redundans eſt, cui ſyllaba vel Pes ſupereſt, Græcè Hypercatalecticus vel Hypermeter Verſus vocatur : vt*
*Et ſpumas miſcent argenti viuaq; ſulphura.*

## De Compoſitione.

*Compoſitio Metrica eſt plurium Verſuum quàm vnius copulatio, ab hac Carmina dicuntur Monocola, Dicola, &c.*

*1. Monocola Carmina ſunt, cum vnius & eiuſdem Generis Verſus ſeſe conſequuntur, vt ſunt apud Virgilium.*

*2. Dicola carmina ſunt, cum duo Genera Verſuum miſcentur.*

*3. Tricola Carmina ſunt, cum trium Generum Verſus coniunguntur.*

*4. Tetracola Carmina ſunt, cum quatuor Generum Verſus componuntur, & Poëma conſtituunt.*

## De Reuerſione.

*Reuerſio Metrica eſt reditus ſeu regreſſio ad idem Genus Carminis, quod prius erat poſitum : ab hac Carmina dicuntur Monoſtropha, Diſtropha, &c.*

Carmina dicuntur

*1. Monoſtropha illa omnia, quæ ſunt Monocola.*

*2. Diſtropha, cùm poſt duos diuerſi Generis Verſus, alij duo ſimiles prioribus eodem ordine ponuntur.*

*3. Triſtropha, cum poſt tertium Verſum, qui eſt Generis diuerſi à primo, alij tres ſimiles tribus prioribus eodem ordine ponuntur.*

*4. Tetraſtropha, cùm poſitis quatuor Verſibus quarto Generis diuerſi à primo exſiſtente, alij quatuor ſimiles prioribus eodem ordine ponuntur.*

De Me,

## De Metaplaſmo.

*Metaplaſmus eſt modus Vocabulorum gratia Metri, qualitercunq; immutandorum, & fit propter Carminis aut elegantiam, aut neceſſitatem: continetq; ſub ſe Figuras quatuordecim.*

*Protheſis apponit capiti, quod Aphæreſis aufert.*
*Syncope de medio tollit, quod Epentheſis addit.*
*Apocope finem demit, quem dat Paragoge.*
*Litera in Antitheſi varia eſt; Tmeſis ſecat apte.*
M *necat Ecthlipſis; perimit Synalœpha vocalem.*
*Craſis conſtringit; diſtracta Diæreſis effert.*
*Ectaſis extendit breue, curtat Syſtola longum.*

*Quando litera vel Syllaba in Dictionis*

1. *Principio apponitur, eſt Figura Protheſis, vt Gnatus, pro natus, gnauus, pro nauus, tetuli pro tuli, &c.*
2. *Principio aufertur, eſt Aphæreſis, vt Temno pro contemno, pono pro depono, ruit pro eruit.*
3. *Medio interponitur, eſt Epentheſis, vt Nauita pro nauta, Mauors pro Mars, Induperator pro Imperator, Staneſilaus pro Stanislaus*
4. *Medio ſubtrahitur, eſt Syncope, vt Deûm pro Deorum, periclum pro periculum, noſti pro noviſti, noram pro noueram. Hac Oratores ſæpiſſimè vtuntur.*
5. *Fine additur, eſt Paragoge, vt Dicier pro dici, dominarier pro dominari.*
6. *Fine adimitur, eſt Apocope, vt Tun pro tunc, parce metu pro metui, oti pro otij.*
7. *Aliquo loco vna pro alia ponitur, eſt Anthitheſis, vt Olli pro illi, optumus pro optimus, vpilio pro opilio, volgus pro vulgus. Si autem tranſponitur eſt Metatheſis, vt Tymbre pro Tymber.*

De alijs alibi *.ſ. De Tmeſi pag: 256. De Ecthlipſi pag: 292.*
*De Synalœphe pag: 293. De Synæreſi pag: 293.*
*De Diæreſi pag: 293. De Diaſtole pag: 283.*
*De Syſtole pag: 283.*

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0029826

Gram